OFFICIA

OMNIUM SANCTORUM AC BEATORUM

EX ORDINE S. FRANCISCI

A SACRORUM RITUUM CONGREGATIONE,

ET A SUMMIS PONTIFICIBUS

AB ANNO CIRCITER 1740 USQUE AD 1840 CONCESSA,

Juxta correctionem novi Kalendarii recentisque Breviarii Romano-Seraphici

DISPOSITA

PRO OMNIBUS IN TOTO REGNO NEAPOLITANO EODEM BREVIARIO UTENTIBUS.

Editio quarta auctior, et emendatior.



NEAPOLI
APUD RAPHAELEM MIRANDA

1840.

FESTA JANUARII

DIE XIV. JANUARII.

In festo SS. Nominis JESU, *dupl.* 2. *class. Omnia ut Brev. praeter Lectiones* 2. *Noct. quae leguntur ut sequitur.*

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 15 *super Cantica*, *circa medium.*

Lectio iv.

NOn otiose Spiritus Sanctus nomen Sponsi oleo comparat, cum ita doceat sponsam ad sponsum clamare: oleum effusum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine: lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta, et tam subita fidei lux, nisi de praedicato Nomine Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino? ℟. Sperent.

Lectio v.

HOc denique Nomen coram Regibus, et Gentibus, et filiis Israel portare jussus est idem Apostolus, et portabat nomen tanquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: nox praecessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die hone-

ste ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit, et bases, multosque spiritualiter cæcos illuminavit? Numquid non ignem sparsit, cum ait: in nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula?

℟. Confiteamur.

Lectio vi.

NEc tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aeque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos, atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas: non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum: si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? Veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit: reddit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam? Hujus vero Sanctissimi Nominis cultum a Sanctis Bernardino Senensi et Joanne a Capistrano longe, lateque propagatum, et in Minoritico Ordine Officio Ecclesiastico ex indulto Clementis Septimi auctum, novis subinde Romanorum Pontificum concessionibus ad

alios Religiosos Ordines, Provincias, et Regna ampliatum, Innocentius Tertiusdecimus eodem solemni ritu ad universam Ecclesiam extendit. ℟. Laetentur omnes.

DIE XVIII. JANUARII.

In festo B. Matthæi de Agrigento Ep. et Conf. 1. O. dupl. Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus, interveniente Beato Matthæo Confessore tuo, atque Pontifice; ut sicut ipse Sanctissimi Nominis Filii tui Jesu amore flagravit, ita nos eodem accensi, studeamus calcare terrena, et amare cœlestia. Per eumdem Dominum.

In primo Noct. Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MAtthæus Agrigenti in Sicilia piis, honestisque parentibus natus, Deique amore præventus, pueritia, ac adolescentia summa morum pietate transacta, paternis valedicens opibus, ac mundi spretis illecebris, ut Deo ad majora vocanti sese intimius conjungeret, apud Minores Conventuales inter Clericos connumeratus est. Vota jam solemnia professus Hispaniam, ut sacris, humanisque disciplinis imbueretur, ex obedientia petiit, ubi se totum pietatis operibus, et excolendis virtutibus dedit. Altioris inde perfectionis studio, ac Sancti Bernardini Senensis fama commotus, rigidius Fratrum de Observantia Institutum amplexatus, ac inter ipsius Bernardini Socios adscitus, Italiam fere totam perlustravit, et in nomine Jesu, quod jugiter

præseferebat labescentem ubique pietatem opere, ac prædicatione restituit, Domino sermonem confirmante sequentibus signis. Regularem Observantiam per Hispaniam restauravit, ac in Sicilia plurimum promovit. Deiparam Virginem summo prosequebatur amore, ac suavissimi Jesu nominis inter Siculos præsertim adeo strenuus assertor factus est, ut ubique domorum frontibus affixum cerneretur. Plurima præsertim in Sicilia ejus opera constructa sunt Monasteria, annuentibus Martino V. ac Eugenio IV. Pontificibus in Jesu nominis, Deiparæque honorem S. Mariæ a Jesu appellata.

℟. Inveni David.

Lectio v.

Agrigentino Episcopo vita functo, invitus licet, unanimi civium consensu, plaudente Alphonso Aragoniæ Rege, Eugenioque IV., Agrigentinæ Ecclesiæ praeficitur. Episcopus ordinatus omni sane Virtutum laude, uti lucerna super candelabrum posita, coruscans, se totum Ecclesiasticæ disciplinæ restaurandæ impendit. Per summam calumniam apud Eugenium accusatus, Deo sic permittente, ut tamquam aurum in fornace, ejus probaretur constantia, Romam ab objectis se purgaturus sceleribus adiit, ibique a Summo Pontifice innocens declaratus, suæ est restitutus Ecclesiæ, cujus regimen paulo post sponte dimisit. Panormum reversus a Conventualibus ea in urbe degentibus peramanter exceptus, aliquantisper apud eos est commoratus, donec Observantiæ Vicario provinciali agente, ad suos reversus est. ℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

ALiquot ibi annis pie, sancteque transactis, laboribus fractus ac adversa valetudine afflictus, Superiorum jussu ad Conventuales denuo est deportatus; ac tandem senio, morboque confectus, ad Cœlum evolavit. Illius cadaver ab ejus Fratribus vindicatum in Cœnobium Sanctæ Mariæ de Jesu illatum est non sine prodigiis, in quibus illud insigne, quod evecto in Cœnobii templum feretro, emortuus licet, medium se erexerit, et junctis deinde manibus, Eucharistiam adorans, rursus decubuerit magno adstantium stupore. Miraculorum gloria in vita, et post mortem celebris, Spiritu prophetico, Sanctitatis laude clarus, statim uti Sanctus cœpit ab hominibus honorari. Quem cultum ab immemorabili tempore eidem præstitum, Clemens XIII. ratum habuit, festumque diem Ecclesiastico Officio celebrari indulsit. Ac tandem Pius Papa VII. lectiones proprias in ejus Officio recitari concessit. ℟. Iste est.

In iii. Noct. Homil. in Evang. Vigilate, *de* 2. *loc. Nona lect. et comm. S. Agnetis secundo, ut in Brev.*

FESTA FEBRUARII

DIE I. FEBRUARII.

In festo B. Andreæ de Comitibus Conf. 1. *O. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont.* 2. *loc. praeter sequentia.*

Oratio.

MEntes, et corpora nostra, clementissime Deus, Beati Andreæ Confessoris tui suffragantibus meritis ab omni malorum spirituum incursione defende, ne quos ad pœnam sibi comites quærunt, eos ad crimen suum faciant errore participes. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANdreas Stephani filius e Comitum Signiæ clarissimo genere ortus, Innocentii III., Gregorii IX., et Alexandri IV. Romanorum Pontificum consanguineus, Anagniae apud Hernicos in lucem editus fuit. Adhuc adolescens in sortem Domini electus, blandimenta sæculi, et illecebras, quæ pro familiæ amplitudine sibi deferebantur, aspernatus, Ordini Minoritico nomen dedit. Quo suscepto Instituto, rigidioris disciplinæ, et altioris perfectionis studiosissimus, ad S. Laurentii Cœnobium, a S. Francisco in Latio prope castrum Pilei fundatum, se contulit. Ibidem in clivosi Appennini latere horridam speluncam nactus, quæ Andream prægrandis staturæ virum, nonnisi curvum, aut genibus positis exciperet, durissimam vitæ rationem inivit. Eo siquidem tenebatur excruciandi corporis desiderio, ut vestigia et particulæ cilicii, quo ad Martyrium

jugiter utebatur, post quadringentos viginti annos, nudis adhuc, aridisque costis tenaciter inhærentes compertæ fuerint. ℟. Honestum.

Lectio v.

ACcessit quoque bellum, quod continenter cum Dæmonibus gessit, qui, ut Famulum Dei ex illis latebris avocarent, omnia plane conati sunt. Verum Andreas, divino fretus auxilio, signo Crucis in marmore insculpto, conatus omnes, et astus inimicorum elusit. Quapropter ad spiritus immundos effugandos præcipua potestate donatus est: omnibusque ex incurso dæmoniaco laborantibus adjutor factus, et protector. Nihilo tamen minus, quam de se humiliter, demisseque sentiret, potissimum apparuit, cum a Bonifacio VIII., ejus ex Sorore Nepote, in sacrum Cardinalium Collegium cooptatus est; veritus enim, ne a vita cum Christo abscondita sejungeretur, auctæ suæ dignitatis nuncium illico remisit, et amplissimum honoris gradum constantissime recusavit. Quod Bonifacio tam accidit inopinatum, atque mirabile; ut si foret Avunculo superstes, eumdem a se inter Cœlites renunciatum iri affirmaverit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

INgenio autem præditus ad studia litterarum aptissimo tam egregiam doctrinae laudem promeritus est, ut vir, et moribus, et vita insignis, omni litteratura sua aetate nobilissimus fuerit appellatus. Sanctissimae Dei Genitricis laudes praestanti in libro *de partu Virginis* complexus est: qui etsi temporum injuria deperiit; testimonio tamen doctorum Virorum summopere commendatur. Neque declarandae

ipsius Sanctimoniae miracula defuere. Denique meritis cumulatus, Coelo, quam terra dignior, migravit ad Dominum Kalendis Februarii, anno salutis millesimo trecentesimo secundo. Corpus frequentia Populorum, et expulsione Daemonum celebratum, in eodem Templo S. Laurentii apud Minoritas Conventuales adspectabile colitur. Quem religiosum, et perveterem cultum Innocentius XIII. ex eadem Familia progenitus, et majorum suorum aemulator eximius, Decreto solemni firmavit.

℟. Iste homo.

DIE III. FEBRUARII.

In festo B. Odorici Conf. 1. O. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. 1. loc. praeter Orat. In Hymno Meruit supremos. *Lect. 1. Noct. de Scr. occ. cum. 9. lect et comm. S. Blasii Episc. et Mart.*

Oratio.

DEus, qui ut multos Orientis populos ad Ecclesiae sinus perduceres, Beatum Odoricum invicta animi fortitudine in maximis laboribus roborasti; respice propitius ad animos diabolica fraude deceptos, ut meritis ipsius gloriosis a suis tenebris eruantur. Per Dominum.

EODEM DIE

In Civit. et Dioec. Neapol. Fest. S. Blasii Ep. et Mart. *dupl. maj. Omnia de comm. un. Mart. praeter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui Beatum Blasium Martyrem tuum, atque Pontificem in suis perferendis suppliciis, ac in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concede propitius, ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect.* Amileto, *de comm. un. Mart.*
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BLasius Cappadox, nobili genere ortus, Sebaste in Cappadocia ex Medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi, animorum cura succederet. Huic muneri cum sedulam, ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Licinio Tyranno excitata fuit, Blasius, divino instinctu, Christi consilio, et exemplo, in montem Argaeum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans, ab ipsis feris, nativae feritatis oblitis, quotidianum victum accepit, et multis obsequiis cultus est. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

IBi tamdiu latuit; dum ab Agricolai Praesidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, et ad Praesidem ductus, illius jussu in vincula conjectus est: sed vinctus ipse, multos, quos ejus sanctimonia fama acciverat, a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a Medicis salute, transversa spina faucibus inhaerente animam agebat. Illustris sane, tum corporum, tum animorum Medicus, non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis, aegros pristinae saluti restituit, omni fere miraculorum genere conspicuus; nam Christi super aquas ambulantis, et Eliae Sareptanae viduae annorum multiplicantis, miracula renovavit. ℟. Desiderium animae ejus.

Lectio vi.

ATrocissimis tormentis, crudelissimi Praesidis jussu, cruciatus fuit. Diris verberibus caesus, tortus in equuleo, pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus est. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato corpore, infractus animus restitit. Tandem, victo Tyranno, capite plexus, illustre fidei Testimonium Ecclesiae reliquit, tertio Nonas Februarii, anno Christi centesimo decimo sexto. ℟. Stola jucunditatis.

In iii. Noct. Homil. in Evang. Si quis vult, *de comm. un. Mart. 2. loc.*

DIE IV. FEBRUARII.

In festo S. Josephi a Leonissa Conf. Ord. Cap. dupl. maj. Offic. de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus fidelium remunerator servorum, qui Beatum Josephum eximium in Evangelica praedicatione Operarium effecisti; ejus, quaesumus, intercessione concede, ut a grato Tibi servitio nunquam cessemus in terris, et plenam a te mercedem recipiamus in Coelis. Per Dominum.

In primo Noct. Lect. Beatus vir, *de comm. 2. loc.*
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOsephus Leonissae in Aprutio piis, honestisque parentibus natus, a pueritia coepit clarere virtutibus. Nam, et certos sibi indixit jejunii dies, et in pietatis operibus maximopere delectabatur. Factus adolescentior, oblata sibi optima conjugia, castimoniae sedulus cultor, strenue recusavit, et consanguineorum blandimentis superatis, Capuccinorum Instituto nomen dedit. In Religione austerissimum vitae genus sectatus est. Aliquando enim fabarum corruptarum pugillo, modico pane, eoque mucido, et coenosa aqua, etiam dum sacris concionibus operam daret, vitam transigebat. Saepe etiam ad sex et octo dies omni prorsus cibo abstinuit, diris, cruentisque verberibus, asperrimo cilicio, ferreaque catena corpus domabat. ℟. Honestum.

Lectio v.

ARdentissima charitate, et studio dilatandae Christianae religionis accensus, Constantinopolim profectus, Christi fidelibus in captivitate degentibus sedulo opitulabatur. Fidei desertores reducebat. Nutantes in religione confirmabat, verberibus licet, carcere, et contumeliis vexatus. Quare cum finem verbi Dei disseminandi non faceret, alta e trabe pendere jussus, manu, pedeque dextro unco ferreo perforatis, fumoque, ut suffocaretur, supposito, in eo cruciatu Christi Athleta triduo permansit. Indeque ab Angelo mirabiliter ereptus, sanatis vulneribus, martyrii merito cumulatus, in Italiam reversus est, ibique evangelizandis pauperibus cum ingenti animarum lucro totus incubuit. Finitimas regiones, et familias factionibus, odiis, rixisque prope confectas precibus, concionibus, continenti virtutum exemplo ad tranquillitatem redegit.

℟. Amavit.

Lectio vi.

LUdos, choreas, aliosque tum veteres, cum gliscentes abusus acriter insectabatur. Illudque plane admirabile, quod vir Dei neque inedia, neque solis aestu, neque imbrium vi, neque locorum asperitate, aegra alioqui, et adversa saepe valetudine, praepeditus sex, et octo eadem die conciones habuerit. Tot inter Apostolici muneris labores, coelestium contemplationi addictus, crebro in extasim raptus est, divinoque spiritu afflatus cordium arcana penetrare, et futura prospicere frequens illi fuit. Gratia etiam miraculorum illustris. Truentum extenso super aquas

pallio cum Socio, et Marojam fluvium bis sicco vestigio transivit. Praenuntiata denique mortis suae die, Ecclesiae Sacramentis refectus, placidissime in osculo Domini occubuit. Defuncti Corpus prae macie squalidum, miram illico venustatem induit. Cor ejus usque in praesens molle, suavemque spirans odorem summa omnium admiratione asservatur. Illum miraculis clarum Clemens XII. Beatum appellavit, ac Benedictus Decimusquartus solemni pompa Sanctorum fastis adscripsit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno Lectiones Designavit Dominus, *de comm. Evangelist.* ℟℟. *vero de comm. Conf. non Pont.*

DIE V. FEBRUARII.

In festo BB. Petri-Baptistæ, et Sociorum Mart. Japonensium 1. *O. dupl.* 2. *class.*

Oratio.

Deus qui primitias Fidei apud Japoniæ Gentes Beatorum Martyrum Petri-Baptistæ, et Sociorum ejus sanguine dedicasti: concede propitius; ut ad tui nominis confessionem, quorum excitamur exemplis, eorum precibus adjuvemur. Per Dominum.

Lectiones, et reliqua, ut in Breviario.

DIE VII. FEBRUARII

In festo B. Antonii de Stronconio Conf. 1. *O. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont.* 2. *loc. præter sequentia.*

Oratio.

FAmiliam tuam, quæsumus Domine, Beati Antonii Confessoris tui intercessione custodi, ut a cunctis adversitatibus, ipso intercedente, sit libera, et in bonis actibus, tuo nomini sit devota. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANtonius, in Oppido Stronconii Narniensis Diœcesis, antiqua, et nobili Familia de Vicis, ut traditur, ortus est. Adolescens sedula Parentum cura ad pietatem informatus, solitudine, oratione, ac jejuniis magnopere delectabatur. Duodennis de capessendo Minorum Observantium Instituto, quod in Patria florebat, deliberare cœpit. Adiit ergo Cœnobii Praesidem, ut eorum sodalitio adscriberetur, sed repulsam passus ob tenellam ætatem, iterum, ac tertio rediit, summisque precibus, et lacrymis, ut admitteretur, impetravit. Tanta fuit modestia, ac demissione animi, ut, quamvis litterarum plane rudis non esset, maluerit tamen in humili laicorum gradu Deo famulari. Non multo post missus in Etruriam ad Patruum suum Joannem a Stronconio, Fesulani Cœnobii Præsidem, ut regularibus disciplinis imbueretur, in iis ita profecit, ut religiosæ perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. ℟. Honestum.

Lectio v.

In Corsicam Insulam Superiorum jussu profectus, gentem illam humilitate, mansuetudine, et charitate in sui venerationem attraxit. Revocatus in Patriam, in Cœnobio Carcerum prope Assisium triginta annos moratus est, ubi virtutes, quibus pridem assueverat, impensius colere cœpit. Humilitati sic studuit, ut vilissima quæque alacriter semper obiret. Obedientiam adeo dilexit, ut ad Superioris arbitrium, nutumque totum se accomodaret. Castitatem, quam ad obitum usque illibatam servavit, ita vigili oculorum custodia communivit, ut per annos quadraginta, etsi victum ostiatim quæreret, nunquam tamen in fœminæ faciem eas intenderit. Pedibus omnino nudis incessit semper per nives, glacies, et imbres. Habitus ei non alius, quam simplex tunica obsoleta, et vilis, somnus brevissimus, victus plerumque panis, et aqua absyntio temperata. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Dilecti sui amore flagrans, magnam diei, ac noctis partem in illius suavissima contemplatione traducebat. Iucundissimum illi erat solemni Missæ Sacrificio, Divinisque laudibus interesse: quibus nullum sanctius, Deoque gratius ministerium esse dicere solebat. Tandem virtutibus, et meritis cumulatus, sanctissime migravit ad Dominum septimo Idus Februarii, anno millesimo quadrigentesimo sexagesimo primo, ætatis suæ octogesimo. Corpus ejus in communi Fratrum tumulo primum conditum, novo postea accedente prodigio, in eminentiorem Locum

translatum, in Ecclesia S. Damiani prope Assisium servatur, multaque populorum frequentia colitur. Quem quidem cultum ab immemorabili tempore eidem delatum, Decreto suo adprobavit Apostolica Sedes, anno millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, ejusque Festum cum Officio, et Missa celebrari indulsit. ℟. Iste homo.

DIE XI. FEBRUARII.

In festo B. Joannæ Valesiæ Vid. dupl. maj. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter seq.

Oratio.

DEus, qui ad imitandum Beatae Virginis Filii tui Genitricis virtutes, novum per Beatam Joannam Sacrarum Virginum Coetum institui voluisti: ejus meritis, precibusque concede; ut per eadem gradiamur virtutum exempla. Per eumdem Dominum.

In primo Nocturno Lect. Mulierem fortem.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOanna Valesia Ludovici Undecimi Galliarum Regis, et Carolæ Sabaudiae Filia, a teneris annis in omnem pietatem instituta, ac propensa, non obscuris futurae sanctitatis indiciis continuo claruit. Quinquennis, ferventissimis precibus Deiparam Virginem, quam semper mirifice coluit, exoranti, et quo ei placere magis posset obsequio, significaret; praenunciari sibi visa est fore aliquando; ut novum Sacrarum Virginum Ordinem in ejusdem Deiparae honorem institueret. Ludovico Aurelianensium Duci invicto nupta, summam in prosperis

moderationem exhibuit, atque in adversis constantiam. Ipso postea in Galliarum Regem assumpto, ac nullo, et irrito Apostolicam Sedem eo declarato conjugio, id non solum aequissimo animo tulit, sed gravi se vinculo solutam praedicans, liberius deinceps uni Deo famulari posse gratulata est.

℟. Propter.

Lectio v.

Bituricensis Ducatus sibi a Ludovico Duodecimo Rege adsignatos redditus, alendis pauperibus, curandis aegrotis, aedificandisque Monasteriis profuse erogabat. In eam vero curam praesertim incubuit, ut Sacrarum Virginum Coetum sub nomine Annuntiationis Beatae Virginis Mariae quibus ejusdem virtutes praescriptis regulis ab Alexandro Sexto approbatis, essent ad imitandum propositae, sub Obedientia Fratrum Minorum, institueret, ac promoveret; quod ei feliciter cessit. Egenos, ac miseros omnes ad se confugientes, maternæ charitatis complectebatur visceribus; aegrotos in primis, quorum ulcera, et saniem propriis manibus tergere, et contrectare non defugiebat, restituta non semel eo contactu iisdem sanitate. ℟. Dilexisti.

Lectio vi.

Singulari atque eximia erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pietate ferebatur, ad quod tanta accedebat lacrymarum vi, ut ejusdem charitatis, ac devotionis sensus in adstantium animis excitaret. Dominicae quoque Passionis mysteria pari recolebat affectu: quare constructo intra-domesticum hortum Christi Sepulcro, ibi secedebat identidem, nudum pectus lapide tun-

dens, atque in preces, et lacrymas jugiter effusa. Vitae demum innocentissime actae finem quadragenaria praesentiens, Sacris omnibus Christianae Religionis misteriis, et sacramentis rite, pieque susceptis, pridie Nonas Februarii, Biturici decessit, anno millesimo quingentesimo quinto. Ejus Corpus quinquagesimo septimo post obitum anno incorruptum repertum, dum ab Haereticis militibus ad cremandum raperetur gemitus edidisse, et mucrone transfixum copioso sanguine manasse perhibetur. Ejus cultum Benedictus Decimusquartus Apostolica auctoritate probavit anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo. ℟. Fallax.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Pp. Simile est regnum Coelorum thesauro, etc. *ut in comm. non Virg.*

DIE XIII. FEBRUARII.

In festo B. Viridianae Virg. 3 O. dupl. min. Omnia de comm. Virg. praeter lect. 1. Noct. de Scr. occ. et sequentia.

Oratio.

DEus, qui in famula tua Viridiana cum Virginitatis flore mirabiles poenitentiae fructus conjunxisti; tribue nobis, quaesumus, ut ejus meritis, et precibus, poenitentiae lacrymis abluti, mundi in conspectu tuo praesentari mereamur. Per Dominum.

In ii. Nocturno Nunc nobis, *de 2. loc.*

In iii. Nocturno Simile est, *de 1. loc.*

DIE XV. FEBRUARII.

In festo S. Romualdi Abb. dupl. min. ut in Brev. cum comm. Translat. S. Antonii Patav. simpl.

Ad Vesperas.

Ant. O proles Hispaniae, pavor infidelium, nova lux Italiae, nobile depositum urbis Paduanae; fer, Antoni, gratiae Christi patrocinium: ne prolapsis veniae tempus breve creditum defluat inane.

℣. Ora pro nobis, Beate Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus, qui facis prodigia, et mirabilia solus, ut, sicut linguam Beati Antonii Confessoris tui post mortem incorruptam servasti: ita nos ejus meritis, et exemplo Te semper benedicere, et laudare valeamus. Per Dominum.

Postea fit comm. Ss. Faustini, et Jovitae Mart.

Ad Laud. pro comm. S. Antonii Patav.

Ant. Gaude, felix Padua, quae thesaurum possides, cujus clara visio, dignum fore loculum in ara monstravit: ut signis irrigua, tot in tuo provides miseris Antonio, serva rei titulum, quae sic te ditavit: sed tu nos ad ardua, Pater, his qui praesides, quorum es possessio, transfer, quos hic vinculum mortis inclinavit.

℣: *et Oratio, ut supra in Vesp. Postea Ss. Faustini, et Jovitae Mart. Ant.* Vestri capilli.

DIE XVI. FEBRUARII.

In festo B. Philippae Mareriae Virg. 2. O. dupl. Omnia de comm. Virg. 1. loc. praeter lect. 1. Noct. de Script. occ. et sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatam Philippam Virginem tuam miris coruscare facis miraculis: concede propitius; ut omnes, qui ejus devote implorant auxilium, petitionis suae salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

DIE XIX. FEBRUARII.

In festo S. Conradi Placentini Conf. 3. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

BEati Conradi poenitentia placatus, da nobis, Domine, ut ejus imitatione carnem jugiter crucifigentes, nostrorum peccatorum maculas diluamus. Per Dominum.

In primo Nocturno.

Lectio i.

De libro Exodi. *Cap. 2.*

DIxit Dominus ad Moysen: Haec dices filiis Israel: Si laeserit quispiam agrum, vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni aestimatione restituet. Si egressus ignis invenerit spinas, et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in a-

gris, reddet damnum, qui ignem succenderit: Viduae, et pupillo non nocebitis. Si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum: et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, et filii vestri pupilli. Viri sancti eritis mihi. ℟. Euge serve bone.

Lectio ii.

De Epistola B. Pauli Apost. ad Romanos *Cap.* 12.

FRatres: Habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione: odientes malum, adhaerentes bono: solicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes. In tribulatione patientes: orationi instantes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. ℟. Justus germinabit.

Lectio iii.

NOlite esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum irae: scriptum est enim: Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. ℟. Iste cognovit.

In secundo Nocturno. Lectio iv. Conradus, Placentiae, *ut in Breviario.*

In tertio Nocturno. Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, *ut in Comm. Abb.*

DIE XXI FEBRUARII.

In festo S. Angelae Mericiae Virg. 3. Ord. dup. Omnia de comm. Virg. 1. loc. praeter seq.

Oratio.

DEus, qui novum per Beatam Angelam Sacrarum Virginum Collegium in Ecclesia tua florescere voluisti: da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere; ut, terrenis omnibus abdicatis, gaudiis perfrui mereamur aeternis. Per Dominum.

In primo Nocturno Lect. de Scr. occurr. In Quadr. De virginibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANgela Mericia, Decentiani, Veronensis Dioecesis Oppido ad Lacum Benacum in Ditione Veneta, piis orta parentibus, a prima aetate virginitatis lilium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit. Ab omni muliebri ornatu abhorrens, egregiam vultus formam, pulchramque caesariem studiose foedavit, ut coelesti dumtaxat animarum Sponso placeret. In ipso autem adolescentiae flore parentibus orbata, austerioris vitae desiderio, in desertum locum aufugere tentavit; sed ab avunculo prohibita novit praestare domi, quod in solitudine non licuit. Cilicio ac flagellis frequenter usa, carnem nonnisi infirma

valetudine, vinum in Nativitatis, et Resurrectionis Dominicae tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Orationi dedita brevissimum humi carpebat somnum: Daemonem vero sub lucentis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum, ac Regulam Tertii Ordinis Sancti Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Nullum pietatis officium erga proximos omittens, pauperibus, quidquid sibi ex emendicato victu superesset, largiebatur, libenter ministrabat aegrotis, pluraque cum magna Sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset afflictis, vel reis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum coeno scelestos revocaret. Angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. Sacra Palestinae loca summa cum religione obivit: quo in itinere et visum, quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem, ac naufragium imminens divinitus evasit. Romam denique firmam Ecclesiae Petram veneratura, et amplissimae Jubilaei veniae percupida, sedente Clemente Septimo accessit; quam Summus Pontifex allocutus, ejusdem Sanctimoniam suspexit, et commendavit summopere; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit quam alio coelitus vocatam agnovit. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

BRixiam itaque, ubi domum ad Sanctae Aphræ templum conduxit, reversa novam ibi Virginum Societatem, sicut coelesti voce, ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis constituit, quam Sanctae Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio, ac nomine insignivit: eam vero perennem futuram morti proxima praedixit. Tandem prope septuagenaria dives meritis evolavit in Coelum sexto Kalendas Februarias anni millesimi quingentesimi et quadragesimi, cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum, flexibile, ac vivo simillimum perseveravit. Demum in Sanctae Aphrae templo inter caeteras quibus illud abundat, Sanctorum Reliquias reposito, plurima ad ejus sepulcrum agi statim coepere miracula: quorum fama late diffusa, non Brixiae modo et Decentiani, sed alibi etiam vulgo coepit nuncupari Beata, ejusque imago aris imponi; imo Sanctus ipse Carolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae ab Apostolica Sede in Sanctarum Virginum album referretur, Brixiae palam asseruit. Cultum vero illi jamdiu a populis exhibitum, et tum locorum Ordinariis probatum, tum pluribus etiam Summorum Pontificum Indultis munitum, Clemens Papa Decimustertius solemni Decreto ratum habuit, ac confirmavit. Pius vero VII. Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit. ℟. Afferentur.

In iii. Nocturno Simile erit decem Virginibus.

DIE XXII. FEBRUARII.

In festo S. Margaritae de Cortona 3. O. dupl. 2. class. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter sequentia.

Ad Vesp. Antiph. Dum esset, *cum reliq. de Laud. nec Virg. nec Mart. Psal. de comm. Virg.*

Capitulum. *Cantic.* 3.

IN lectulo meo per noctem quaesivi quem diligit anima mea, quaesivi illum, et non inveni: surgam, et circuibo civitatem: per vicos, et plateas quaeram quem diligit anima mea.

Hymnus.

JAm satis culpis, scelerique diro,
Jam satis coeco dedimus furore:
Ad sacras quisque lacrimans, dolensque
Convolet aras.
Magdala Etruscis rediviva in oris.
Pulchrior noxis rediens ab ipsis
Edocet primae lacrymis juventae
Tergere sordes.
Morte dum spectat misera peremptum
Criminis foedi comitem repente
Horret ac deflens maculas vetustas,
Altera surgit.
Surgit, et fuso sine lege crine
Foedat antiqui speciem decoris:
Dat latex potum, tenuesque mensas
Suppetit herba.
Sic fame, et ferro, rigidisque flagris
Dolet admissas reparatque culpas;
Coelitum tandem socianda turmis
Sydera scandit.

Qui creas mundum Genitor superne,
Nate, qui mundi scelus abstulisti,
Spiritus semper par utrique regnans
Parcite lapsis. Amen.

℣. Ora pro nobis Beata Margarita.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnif. Ant. De Excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me, expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum.

Oratio.

DEus, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti: eadem nobis miseratione concede, ut, quam prius errantem sectari non erubuimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

Ad Matut. Invitat. Laudemus Deum nostrum,* In Conversione Beatae Margaritae.

Hymnus.

PAter superni luminis,
Cum Margaritam respicis,
Flammas amoris excitas;
Geluque solvis pectoris.
Repente tacta coelitus,
Dolore currit saucia
Lavare fletu, tergere
Vitae peractae vulnera.
Vestes, monile projicit,
Impuri amoris pabulum,
Artusque sacco contegit,
Et fune cingit hispido.
O vera, Christe, Charitas,
Tu nostra purga crimina,

Tu corda reple gratia,
Tu redde Coeli gaudia.
Uni, Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Peccantium qui crimina
Remittit, et dat praemia. Amen.

Antiph. Psalmi, et ℣℣. Nocturnor. de comm. nec Virg. nec Mart.

In 1. et 2. Noct. Lect. cum ℟℟. ut in Breviario.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 15.

IN illo tempore : Murmurabant Pharisaei , et Scribae , dicentes : quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

Serm. 4. Dom. 3 post. Pent. sup. hoc Evang.

PRimo gaudent Angeli de salute peccatoris propter benevolentiae charitatis latitudinem. Latitudo enim charitatis facit , quod tantum gaudet Angelus de bono proximi, quantum de proprio; quia superna civitas non coangustatur multitudine desiderantium : quia nulli diminuitur de suo proprio praemio propter multitudinem praesentium , et existentium , imo inde cuilibet sua gloria crescit. Et propter hoc dicitur in hodierno Evangelio; Quae mulier habens drachmas decem , si perdiderit drachmam unam , nonne accendit lucernam, et evertit domum, et quaerit diligenter, donec inveniat? Sequitur: Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.

Mulier est Divina Sapientia, drachmae vero novem, sunt novem Chori Angelici; sed drachma una est humanum genus, quae fuit perdita merito primae praevaricationis. ℟. Os suum.

Lectio viii.

IGitur Divina Sapientia ad quaerendam istam drachmam accendit lucernam luce humanitatis, uniendo eam, vel intuendo lumine Divinitatis, et evertit domum assumptae mortalitatis, per corporis, et animae resolutionem in passione, ut per proprium Sanguinem inveniat amissum hominem. Ex hoc enim magnum gaudium generatur Angelis Dei, propter latitudinem perfectæ charitatis, quae extenditur ad omnes electos. Secundo gaudent Angeli de salute peccatoris propter Angelici casus restaurationem. Quamvis Angeli sint superiores per naturam, tamen ex Divina largitate, et benignitate, quae sibi hominem ministravit, contingit, aliquos homines in gratia Angelis aequiparari, et propter eorum meritorum excellentiam ad Ordines Angelorum assumi, ut eorum exaltatio, et sanctificatio sit Angelicae ruinae per quamdam aequipollentiam reparatio. ℟. Regnum mundi.

Si hoc Festum celebretur ante Quadragesimam, et extra Vigiliam S. Mathiae lectio ix. erit sequens.

Lectio ix.

DE isto autem gaudio potest exponi illud. Consolabitur Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus, et gaudium, et laetitia invenietur in ea. Sion specula interpretatur, et signat Coelum empireum, in quo positi sunt Angeli ad speculandam pulchritudinem Divinitatis, cujus ruinas Deus con-

solatur, quando terrenos homines loco illorum, qui ceciderunt, exaltat ad Ordines Angelorum. Unde super illud Psalmi: Constitues eos principes; pauperes elegit: ut exaltaret ad Ordines Coeli, qui fiunt ex hominibus, et Angelis.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas. Ant. Deum esset, *ut in comm. nec Virg. nec Mart.*

Psal. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominica. Capitulum.* In loculo meo, *ut supra in Vesp.*

Hymnus.

SUmmi parentis Unice,
Vultu pio nos respice
Vocans ad arcem gloriae
Cor Margaritae poenitens.
Amissa drachma regio
Recondita est aerario:
Et gemma detersa luto
Nitore vincit Sydera.
Jesu medela vulnerum,
Spes una poenitentium
Per Margaritae lacrimas
Peccata nostra diluas.
Dei Parens piissima
Hevae nepotes flebiles
De mille vitae fluctibus
Salutis in portum vehas.
Uni, Trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Peccantium qui crimina
Remittit, et dat praemia. Amen.

℣. Ora pro nobis etc. ℟. Ut digni etc.

Ad Bened. Antiph.

Ut cognovit, resipuit Seraphici Ordinis Magdalena: dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum.

Oratio. Deus, qui famulam, *ut sup. in Vesp.*

Ad Tertiam. Antiph. In odorem.

Capitulum. In lectulo.

℟. *br.* Specie tua. ℣. Adjuvabit eam.

Ad Sextam Antiph. Jam hyems.

Capitulum. *Cantic.* 8.

POne me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio, lampades ejus lampades ignis, atque flammarum.

℟. *br.* Adjuvabit eam. ℣. Elegit eam.

Ad Nonam. Antiph. Ista est speciosa.

Capitulum. *Cantic.* 7.

AQuae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

℟. *br.* Elegit eam. ℣. Diffusa.

In 2. Vesp. Omnia ut primis, praeter seq.

Ad Magnif. Antiph.

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

Oratio ut supra.

DIE XXV. FEBRUARII.

In festo B. Sebastiani ab Apparitio Conf. 1. Ord. dupl. min.

Oratio.

DEus, qui Beatum Sebastianum Confessorem tuum in simplicitate cordis ambulare fecisti, ac coelestibus donis cumulasti: concede propitius; ut ejus intercessione, et puris mentibus tibi servire, et gratiae tuae munera consequi valeamus. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SEbastianus Guidinae Galleciae Oppidi Dioecesis Aurixiensis ex honesta stirpe in Hispania ortum habuit. Ab infantia pie educatus, ac puer pascendis gregibus deditus, nihil puerile gessit in opere, statimque apparuit, eum ad magnum aliquid portendendum peculiari Dei providentia fuisse praeservatum. Nam, ut constanti fertur fama, quum duodennis ex lue contagiosa lethaliter decumberet, et solus in semidiruto tugurio esset derelictus, morsu lupi e nemore erumpentis, qui leniter tumorem perrupit, pusque virulentum plane abstersit, a Matre illuc reduente mirabiliter repertus fuit sanatus. Pueritia domi probe transacta, adolescens e paterno solo egressus, Salamanticam secessit, ibique alieno servitio mancipatur. Tum rei agrariae alibi addictus, ut Parentum inopiam sublevaret, varia hinc inde expertus est discrimina,

in iisque ter mulieres ejus virginitati insidiantes, invicte rejecisse perhibetur. Hisce vero periculis valde commotus, in novam Hispaniam, quo Evangelica Fides nuper fuerat invecta, proficisci in animum sibi induxit, navimque conscendens cum aliis sociis, quorum convicia aequanimiter in itinere tulit, prospera tandem navigatione confecta, primo Angelopolim, deinde Mexicum appulit.

℟. Honestum.

Lectio v.

EGregiae charitatis ejus in Proximum illico coepit Mexici praebere argumenta. Quum enim ibi novo opificio construendi plaustra, arduoque labori aperiendi vias rectas per impervias sylvas, praesertim eam, quae e Mexico ducit ad Zacathecam, totum se daret, pingues opes, quas inde sibi comparaverat, in Viduis, et Orphanis alendis, honestis puellis dotandis, aliisque hujus generis misericordiae operibus impendebat. Quocirca hominem multo aere alieno gravatum, atque adeo a Lictoribus captum, toto debito generose soluto, e vestigio ab eorum manibus liberavit. Hinc tantam virtutis opinionem adeptus fuit, ut etiam ab Indis, ingenita ferocitate deposita, obsequium sibi et famulatum praestari mereretur. Nuptias, quos olim modeste abnuerat, postmodum inire decrevit. Itaque bis matrimonium cum honestis virginibus contraxit, quas tamen, iisdem consentientibus, intactas reliquit. Quare Daemon variis modis eum est aggressus: nunc foeda spectra ferocis Tauri, trucisque Mauri ei objiciens: nunc venustae mulieris impudice gestientis formam induens. Sed vir Dei signo Crucis cuncta hostis molimina vicit. Po-

strema conjuge defuncta, Ordini Seraphico adscribi petiit, ac Monialibus S. Clarae cunctis opibus relictis, voti sui compos jam septuagenarius in Statu Laici effici meruit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

SOlemnibus votis Deo nuncupatis, in omni virtutum genere mirifice enituit. Summa ei inerat simplicitas, animi candor, mansuetudo, obedientia, paupertas, in adversis item tollerandis eximia patientia. Temperans adeo fuit, et fortis, ut praeter prolixa jejunia, et corporis afflictationes, noctes insomnes saepe traduxerit; dignus propterea, cui ut fertur, esurienti in Deserto, et omni humana ope destituto Angeli cibaria ministrarint, lassitudine confectum recrearint, dormientem coelesti splendore circumfulserint, itinerantem a pluvia, et nivibus defenderint, ex via devium, in rectum tramitem deduxerint, deque uno in alium locum transtulerint. Futuros eventus quoque praenovit: Secreta item coelestia, et cordium arcana penetravit, et in ferociores belluas absolutum semper exercuit dominium. Eucharistiae Sacramentum, quod in extremo morbo ex vomitu praepeditus sumere non poterat, ad se ferri poposcit, et humi stratus, lacrymisque perfusus inenarrabili animi sensu coluit. Senio tandem confectus, prope centenarius ultimum diem placidissime Angelopoli clausit. Post mortem corpus ejus, quod ex poenitentia attritum, squallidumque erat, statim formosam induit speciem, suavemque spiravit odorem. Virtutibus denique, et miraculis clarus, a Pio Sexto Pont. Max. in Bea-

torum Coetum solemniter est relatus. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno de 2. loco.

DIE XXVII. FEBRUARII.

In festo B. Eustochii Calafato Virg. Ord. S. Clarae dupl. Omnia de comm. Virg. 1. loc. praeter lect. 1. Noct. de Scr. occurr. et seq. prop.

Oratio.

OMnipotens, et misericors Deus, qui vitam Beatae Eustochii Virginis tuae cum Christo absconditam mirabiliter clarificasti; ejus precibus, et imitatione concede, ut in hoc saeculo pariter consepulti, ad vitam resurgere mereamur aeternam. Per eumdem Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

EUstochium ex nobili Calafatorum, et Romano Columnensium genere Messanae nata, a prima adolescentia animi virtutibus non minus, quam corporis venustate explendescens, cum a complurimis Regni Siciliae Dynastis expeteretur, gravissimis Consanguineorum conatibus, molestiis, atque injuriis fortiter superatis, oblatas nuptias constantissime recusavit, ut coelesti Sponso a se datam servaret fidem. Hac victoria Eustochium excitata, cum nihil magis optaret quam pati, et esse cum Christo, in Messanense Basilicarum Monasterium Ordinis Sancti Francisci se recepit; inque earum Virginum numerum cooptata, sic quotidianae vitae consuetudine, atque

virtutibus eluxit, ut omnes studio excitaret suo. Rerum divinarum, atque in primis cruciatuum Christi meditationi continenter insistens, id unum enitebatur, ut quocumque se verteret, nihil aliud, nisi ejusdem Passionis Mysteria, suis oculis exhiberentur. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Eximio erga Deum amore flagrans, ut virginitatem, quam ei dicaverat, illibatam perpetuo custodiret, setoso indusio, ac interdum senticoso, crebrisque flagellationibus, vigiliis, atque jejuniis carnem jugiter affligebat, pane tantum, et aqua absynthio, et cinere admixtis victitare, atque ut diutius in oratione insomnis persisteret, oculos oleo, et mali arabici succo linire studuit: quibus ex rebus vultus, ut cupiebat, amisit venustatem. Severioris disciplinae servandae causa, probante Callixto Tertio Pontifice Maximo, novum Clarissarum Monasterium Montis Virginis, plurimis curis, atque molestiis, ei obsistentibus multis ex Basilicarum Asceterii Virginibus non modo, sed etiam ex Messanae Optimatibus, instituit. Huic invita omnium prima cum praeesset, nihil unquam, neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit; sed demisso per virtutem animo, famula cujusque videbatur, et erat. Qua sane virtute, praecipuaque in proximum charitate, cum Moniales lue conflictarentur, mirum in modum excelluit. ℟. Dilexisti.

Lectio vi.

EUcharistiae Sacramentum, memoriale Passionis Christi singulari animi sensu prosequebatur, atque Deiparam Virginem , millies (festis praesertim illius diebus) recitata Angelica salutatione, sanctissime colebat. Tali modo, cum annos quatuor et quinquaginta complesset postremum nacta est morbum: quo accrescente, Ecclesiae Sacramentis munita, ad custodiendam sollicitissime religionem, et Ordinis disciplinam Sorores adhortata, affulgente, ut fertur, in ejus cubiculo clarissimo Sydere, XIII. Kalendas Februarii extremo Saeculo XV. meritis plena in patriam migravit Beatorum. Ejus corpus adhuc integrum in sacra Monasterii Montis Virginis Æde , signis coruscat, cujus opem praesentissimam Messanenses praesertim in terraemotibus experti sunt. Delatum Beatae Eustochio cultum Pius Sextus Pontifex Maximus probavit, utque ejus Festum cum Officio, et Missa ab universo Ordine Minorum, atque a Clero Messanensi celebraretur, Apostolica auctoritate concessit. ℟. Afferentur.

In tertio Nocturno. Decem Virginibus.

DIE XXVIII. FEBRUARII.

In festo B. Thomae a Cora Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter seq. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Thomam tuo amore succensum interiori mortificatione, et eximia in proximum dilectione decorasti: ejus meritis, precibusque concede, ut nosmetipsos pro te abnegantes, et charitatis opera jugiter exequentes aeterna praemia consequi mereamur. Per Dominum.

In 1. Nocturno. Lect. de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas Corae in Dioecesi Veliterna piis, honestisque parentibus natus vel ab ineunte aetate non obscura dedit futurae sanctitatis specimina. Adhuc enim puerulus tanto morum candore emicuit, ut a Civibus suis Innocentis, ac Sancti Juvenis nomine appellaretur. Defunctis parentibus, res domesticas rite disposuit, utque Deo adhaereret intimius, Fratrum minorum de Observantia habitum suscepit. Expleto tirocinio in quo maxima humilitate refulsit, solemnem emisit Professionem Velitris studiorum gratia degens, Sacerdotio initiatus; ibique crebris suspiriis, et magna lacrymarum copia primum Deo obtulit

Sacrificium. Interim pervetustus Civitellae Conventus prope Sublacum in Sacrum Recessum erigitur. Asperrimum ejusmodi vitae genus, quod forti animo nedum arripuit, sed et quibusdam postea Regulis perfecit, subindeque in alium prope PalumbariaeOppidum in Sabinis invexit, etiam aetate provectus, laboribus fractus, et variis morbis afflictus, vultu semper, et animo hilari adamussim implevit, atque alios ad illud idem implendum verbis, ac exemplis roboravit. ℟. Honestum.

Lectio v.

Assiduis Coenobii laboribus, cilicium, abstinentias, privatas flagellationes, aliasque austeritates adjecit, quibus castitatem ad mortem usque illibatam servavit. Eximia ejus in Deiparam Virginem, quam semper ut Matrem coluit, et in acerbissimam Christi Passionem pietas fuit; singularis vero erga Eucharistiae Sacramentum veneratio, ardensque Charitas; quam Deus signis comprobasse fama est. Interea se peccatorem, ineptumque hominem reputans, viliora quaeque Coenobii munia obire solemne habuit. Injurias factis, nedum verbis illatas aequissime pertulit. Seraphicae paupertatis amantissimus, arcto rerum usu contentus fuit; ad hunc Fratres hortabatur, et quidquid hujus integritatem vel minimum laedere videretur, a praefatis Conventibus eliminavit. Ipsas quoque sponte oblatas eleemosynas Largitoribus, ut superfluas identidem remisit. Erga omnes tamen comus, et benignus pauperibus atque iis, qui ad ipsum vel consilii, vel Spiritualium exer-

citiorum causa confluebant necessaria cuncta suppeditabat, spe firmissima uni Deo innixus; qui propterea annonam haud raro multiplicasse, atque inopinatis alis auxiliis opportune providisse fertur.
℟. Amavit.

Lectio vi.

DEi amore, et proximi exaestuans, ad Sinenses pergere proposuerat, ut Catholicam Fidem praedicaret, pro qua etiam vitam profundere peroptabat: sed cognita adversa Dei voluntate, in Sublacensi, finitimisque locis parata sibi a Domino vinea laetus permansit. Ut infirmis opem ferret, neque tybiarum dolor, neque intempestae noctes, neque viarum asperitas, neque pluviae, aut glacies ardentissimam ejus Charitatem detinere poterant. In excipiendis domi, forisque confessionibus integros dies, ac etiam noctis partem, saepe jejunus, ob istarum multitudinem transegit. Peccatores, obduratos praesertim, et gravi delictorum sarcina oppressos paterno amplectebatur affectu, et de eorum resipiscentia summopere gaudens, ad contritionem singulari gratia, et lacrymas excitabat, Deoque reconciliatos in viam salutis mirificedirigebat. Prophetiae, et scrutationis cordium donis claruisse perhibetur. Oppida, et Castella Sublacensis Dioecesis, et huic finitima concursans, coram patriam persaepe petens, talis ubique fiebat Populorum commotio, morumque reformatio, ut merito novus illius Regionis Apostolus haberetur, et dici posset. Summis tandem laboribus pro Dei Gloria amplificanda exantlatis, in praefato Civitellae Conventu ultima infirmitate correptus fuit: hinc Sacra-

mentis Ecclesiae refectus, et supernis Charismatibus recreatus mortem Justorum obivit tertio Idus Januarii anno millesimo septingentesimo vigesimo nono, aetatis suae quarto et septuagesimo. Ejus Sanctitatem miracula comprobarunt, quibus rite cognitis. Pius Sextus Pontifex Maximus Beatorum fastis illum solemniter adscripsit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. de 1. loco.

FESTA MARTII.

DIE I. MARTII.

In festo B. Mathiae de Nazaraeis Virg. Ord. S. Clarae dupl. min. Omnia de comm. Virg. 1. loc. praeter lect. 1. Noct. de Script. occur. et seq.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui Beatam Mathiam Virginem tuam ad tibi caste, et pie serviendum uberibus donis attraxisti: ejus, quaesumus, intercessione concede; ut casto corde tibi adhaerentes, aeternam gloriae coronam consequamur. Qui vivis, etc.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MAthia de Nazaraeis Mathelicae in Piceno nobilibus, piisque parentibus orta pueritiam ita transegit, ut diluculo coelesti Sponso perpetuo famulari d liberavit. Itaque splendidas nuptias a patre oblatas constantissime recusans, clam domo

aufugiens ad Monasterium S. Mariae Magdalenae convolavit, ubi comam sibi ipsa tondens, claustralem vitam solemniter professa est. Quas in corde suo ascensiones ad Christum disposuerat, brevi auxit adeo, ac perfecit, ut omnibus Consororibus admirationi foret atque exemplo; quo factum est, ut mortuae Abbatissae Consobrinae suae, omnium voto reluctans prae humilitate, Episcopo Camerinensi gratulante, ac probante, Monasterii Praeses fuerit subrogata, quod munus ad annos quadraginta sanctissime administravit. Dignitatis honore nihil commota, ita praefuit semper, ut subjectae Sorores ejus voluntati numquam repugnaverint.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

PRudentiae, caeterarum simul virtutum singulare prorsus, ac perfectissimum exercitium conjunxit, Paupertatem ita coluit, ut patris haereditatem sibi delatam partim pauperibus, partim Monasterio, et ejus Ecclesiae, quam a fundamentis excitavit, nihilo sibi relicto, attribuerit. Ut Castitatem incontaminatam servaret, carnis mortificationem sub initium tyrocinii susceptam numquam dimisit. Quotidianum pene servavit jejunium, pane tantum, et aqua utens, cilicia induit asperrima, flagella ad sanguinis effusionem, vigilias ad integras fere noctes protraxit, ut Deo per orationem arctius adhaereret, in qua cum sacratissimam Passionem Christi mente recoleret, Divini amoris igne adeo inardescebat cor ejus, ut vel profusissimas lacrymas funderet vel in dulcissimas extases rapta consisteret. ℟. Dilexisti.

Lectio vi.

Virtutibus emicans, donis etiam Prophetiae, ac Miraculorum enituit; quorum odor, ac fama omnium animos ita pervasit, ut plurimi vel consilii, vel auxilii causa continuo ad eam confugerent; ipsa vero humilitatem ita coluit semper, ut viliora Monasterii officia obire gestiret. Eandem vicinae mortis conscia, die, horaque illius praenuntiata, enixe Sororibus commendans custodiam Castitatis, Paupertatis, Obedientiae, mutuamque dilectionem, ac concordiam, luce circumfusa, spiritum emisit die Sanctis Innocentibus sacra, anno millesimo tercentesimo. Corpus inter Populi lacrymas, ac laudes in Ecclesia Monasterii tumulatum, ob prodigia, quae fiebant, paulo post in Arca lignea, mox lapidea reconditum sub Altari S. Caeciliae collocatum est, ubi Fidelium venerationi, ac cultui patet. Hunc in dies auctum, ac latius propagatum ob crebra miracula, et sanguineum sudorem quem ab eo dimanare pluries ac juridice compertum est; Clemens XIII. Pontifex Maximus confirmavit, concesso in ejus honorem Officio, ac Missa, Pius vero Sextus probatis Oratione, ac Lectionibus propriis ampliavit. ℟. Afferentur.

In 3. Noct. de comm. Virg. 1. loc.

DIE III. MARTII.

In festo B. Bernardi a Corleone Conf. Ord. Min. Capucc. semid. ad libit. Omnia de comm. Conf. non Pont. 1. loc. In Hymn. Meruit supremos, *praeter lect. 1. noct. de Scr. occurr. et seq.*

Oratio.

DEus, qui B. Bernardum Confessorem tuum heroica charitate, et admirabili poenitentia clarere fecisti: ejus nobis intercessione concede; Te super omnia toto cordis affectu diligere, et dignos poenitentiæ fructus facere. Per Dominum.

EODEM DIE

Pro Civit. tantum Neapol. in Festo S. Potiti Mart. dupl. min. In 1. Vesp. Ant. Potitum, *cum reliq. de Laud. Psal. de Dom. ult.*

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Iacob. 1.*

BEatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus.

INvicta virtus Martyrum,
Et alme custos Virginum,
Jesu, Potiti laudibus
Adsis Olympi e vertice.
Infirma mundi deligens,
Ut conterantur fortia,
Illum virili pectore,
Adhuc replesti parvulum.

Hinc ipse victor nobilis
Domum, parentes, omnia
Vulto sereno despicit,
Tibique adhaeret arctius.
Honor, decusque debitum
Sit Trinitati jugiter,
Quae per Potitum Coelica
Nobis rependat munera. Amen.

℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.
℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Ant. Respexit Dominus humilem servum suum Potitum, et posuit diadema regni in capite ejus, atque ex hoc beatum illum dicent omnes generationes.

Oratio.

DEus, qui nos B. Martyris tui Potiti annua celebritate laetificas: concede propitius, ut de cujus triumphali agone laetamur in terris, ad gloriae consortium pervenire feliciter mereamur in Coelis. Per Dominum.

Ad Matut. Invit. Regem Martyrum Dominum: * Venite, adoremus. *Psalm.* Venite, etc.

Hymnus.

JAm de paterno carcere,
Saevi ad tribunal Judicis,
Puero Potito protinus
Certamen instat acrius.
Blandis Tyrannus vocibus
Frustra lacessit, postmodum,
Minis perurget, offerat
Thus, aut daturus sanguinem.

Princeps suorum militum
Sed Christus offert lauream,
Interque coetus Martyrum
Sedem moerenti destinat.
Honor, decusque debitum
Sit Trinitati jugiter,
Quae per Potitum Coelica
Nobis rependat munera. Amen.

In primo Nocturno.

Ant. Beatus Potitus non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, sed in lege Dei fuit voluntas ejus die, ac nocte.

Ps. Beatus vir. *cum. rel. Psal. de com. un. Mart.*

Antiph. Insurrexerunt impii adversus Dominum, et adversus Sanctum suum, qui habitat in coelis, irrisit eos.

Psalm. Quare fremuerunt Gentes.

Antiph. Factus est Dominus servo suo turris fortitudinis, a facie inimici.

Psalm. Domine, quid multiplicati sunt.

℣. Gloria, et honore coronasti eum Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

De Libro Ecclesiastici.

Lectio i. *Cap.* 51.

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te Deum Salvatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniam adjutor, et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguae iniquae, et a labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui a rugientibus praeparatis ad

escam de manibus quaerentium animam meam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me, a pressura flammae, quae circumdedit me: et in medio ignis non sum aestuatus : de altitudine ventris inferi, et a lingua coinquinata, et a verbo mendacii, a rege iniquo, et a lingua injusta.

℟. Verbera carnificum non timuit sanctus Puer tuus, moriens pro Christi nomine : * Ut haeres fieret in domo Domini.

℣. Tradidit corpus suum propter Deum ad supplicia. Ut haeres.

Lectio ii.

LAudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique , et non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum , et non erat. Memoratus sum misericordiae tuae, Domine, et operationis tuae, quae a saeculo sunt : quoniam eruis sustinentes te , Domine , et liberas eos de manibus gentium.

℟. Invictus Dei athleta agonem suum Domino precibus commendabat , * Et mori pro Christo semper optavit, et votis omnibus expetivit.

℣. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit me separare a charitate Dei. Et mori.

Lectio iii.

EXaltasti super terram habitationem meam , et pro morte defluente deprecatus sum. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae, et in tempore superborum sine adjutorio. Laudabo nomen tuum

assiduc, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

℟. Puer meus, noli timere, quia ego tecum sum, dicit Dominus: * Liberabo te de manu pessimorum, et eruam te de manu fortium.

℣. Beátus Potitus orabat dicens: Domine Jesu Christe, miserere mihi servo tuo. Liberabo te. Gloria Patri. Liberabo te.

In secundo Nocturno.

Antiph. Invocavit Dominum in medio tormentorum, et in tribulatione dilatavit cor ejus Deus, et mirificavit eum.

Psalm. Cum invocarem.

Antiph. Exaudisti, Domine, servum tuum, et anima illus introivit sine macula in domum tuam.

Psalm. Verba mea.

Antiph. Ex ore Pueri tui perfecisti laudem tibi, Domine, et destruxisti inimicum, et ultorem.

Psalm. Domine Dominus noster.

℣. Posuisti, Domine, super caput ejus.

℟. Coronam de lapide pretioso.

Lectio iv.

Potitus Calari, antiquissima Sardiniae Urbe natus, ab unguiculis, inscio Patre, Christiana Fide imbutus, ab eo postmodum, ut eam desereret, tentatur; propthereaque in custodiam traditur. Sed tantum abfuit, ut minis, blanditiisque quidquam Pater profecerit, ut filii sanctissimi mo-

nitis, atque exemplis, et ipse Christianam Fidem amplexus sit. Vinculis ergo solutus, divino consilio, Patriam deseruit, et in Montem Epyrum secessit. Ibi Divini verbi praedicatione, vitae sanctimonia, ac sanctissimis monitis praeluxit, et Daemonum insidias, quibus crudelissime divexatus est, superavit. In Valeriana Urbe Agathonis Senatoris conjugem elephantiasi laborantem curavit: quapropter Senator ipse cum tota familia, multisque civibus Christo adhaeserunt. Romae quoque Agnetem Antonini Imperatoris filiam crudelissime a Daemone diris cruciatibus exagitatam, liberasse traditur. Sed duri cordis, et pervicax Imperator Diis volens filiae salutem referre, ac Potitum eorum sectatorem fieri, eum totis viribus in hanc sententiam pertrahere conatus est. Quare ad Idola perducto Potito, ejus precibus, atque virtute, ficta Numina corruerunt. Iratus inde Imperator, atque aegre id ferens eum exquisitis jubet tormentis torqueri.

℟. In tormentis te Deum non negavit: * Et ad mortem perductus, te Dominum Jesum Christum confessus est.

℣. Probasti, Domine, cor ejus, et visitasti nocte. Et ad mortem.

Lectio v.

IN custodiam ergo arctissimam primum traditur, diro postmodum equuleo cruciatur; facesque ardentes ejus lateribus admoventur. Hanc Principis immanitatem cum Sanctus Martyr exprobraret, unguibus manum, pedumque ei crudeliter detractis, feris objectus est: sed ab his nativae feritatis oblitis nil laesus, in ferventis olei ollam inji-

citur: liquato plumbo perfunditur, ac clavo ignito transfigitur : quo, cum divinitus Sanctus Martyr liberaretur, extracto, illico Princeps maximo capitis dolore affectus est, et Potitum rogavit, ut sibi opem ferret : Agnetis tamen enixis precibus, Principem Sanctus Martyr curavit ; quam ille rem magicis artibus referens, cum impietatis a Potito argueretur, ut lingua ei amputaretur, praecepit : qua etiam abscissa uberius concinens, Imperatorem ut lacesseret, fieri ullis tormentis non posse, ut Romae vitam amitteret, praenuntiat.

℟. In Domini Jesu confessione fundatus, inter tormentorum supplicia stetit imperterritus : * Ac demum triumphali morte Coelos petivit, sanguine laureatus.

℣. Felici commercio pro terrenis coelestia, pro perituris aeterna commutavit. Ac demum.

Lectio vi.

QUare Antoninus permotus, et Populi conversionem subveritus, satellitibus, ut illum necarent, quo vellent, commisit. Itaque Roma eductus, apud Asculum Apuliæ Idibus Januarii, secundo Christi saeculo capite plectitur. Ejus corpus a Christianis sepultum, tractu temporis Tricarici, ineunte saeculo decimosexto, in Æde Sanctissimae Trinitatis repertum est. Neapoli ad ejus Nomen templum dedicatum extat, in quo a Sanctimonialibus Ordinis Sancti Benedicti memoria tanti Martyris die decimaquarta Januarii jamdudum recolebatur : inde piis earumdem Sanctimonialium precibus permotus Clemens Papa XII. praesens Officium eadem die, qua celebrare consueverant, illis benigne indulsit. Demum idem Clemens XII. Pontifex Ma-

ximus ab universo Clero Saeculari, et Regulari Neapolitanae Civitatis eadem die celebrari mandavit.

℟. Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitae: * Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.

℣. Beatus Potitus dum torqueretur in tormentis, confessus est nomen Domini Jesu Christi. Et confitebor. Gloria Patri. Et confitebor.

In tertio Nocturno.

Antiph. Dum torqueretur in tormentis, oculi Domini super servum suum.

Psalm. In Domino confido.

Antiph. Potitus Christi Martyr locutus est veritatem in corde suo, et non egit dolum in lingua sua.

Psalm. Domine, quis habitabit?

Antiph. Praevenisti eum, Domine in benedictionibus dulcedinis, et posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Psalm. Domine in virtute tua.

℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

℟. Gloriam, et magnum decorem impones super eum.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 10.*

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis, Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi. *Cap.* 10.

QUae ista divisio est? inter prima enim legis praecepta accepimus: Honora patrem tuum, et matrem tuam, et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram et separatus a patre filius, et filia a matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica auctoritas impietati proferetur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter patrem et filium, et inter filiam matremque desaeviens. Gladius telorum, omnium telum acutissimum est, in quo sit ejus potestatis, et judicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus quidem tali nomine novi Evangelii praedicationem appellatam frequens in Prophetis auctoritas est.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

℣. Esto fidelis usque ad mortem, et dabitur tibi corona vitae. Expressa signo.

Lectio viii.

DEi igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, idest praedicatio ejus hominum cordibus infusa. Fitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere et interior, et exterior, idest et corpus, et anima in spiritus novitate gaudebit.

℟. Christi Martyr succensus igne divini amo-

ris sustinuit supplicia passionis : * Et per immanitatem tormentorum pervenit ad societatem Angelorum.

℣. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. Et per immanitatem. Gloria Patri. Et per immanitatem.

Lectio ix.

PErgit deinde eodem praeceptorum, et intelligentiae decursu. Nam postea quam relinquenda omnia, quae in saeculo charissima sunt, imperaverat, adjecit: Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus; quia, qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis, et concupiscentiis. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus, accipiens, Dominum sit sequutus, in hoc Sacramento Fidei spiritus novitate victurus.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Potitum servum tuum, Domine, firmaverunt manus tuae, et regnabit in aeternum.

Psalm. Dominus regnavit.

Antiph. Tu scis, Domine, agonem meum, recordare mei, et visita me, et tuere me ab his, qui persequuntur me.

Psalm. Jubilate.

Antiph. Recordatus sum tui, dicit Dominus, miserans adolescentiam tuam, et certamen forte dedi tibi, ut vinceres.

Psalm. Deus, Deus meus.

Antiph. Deus Dominus fortitudo mea; et deducet me victor in Psalmis canentem.

Cantic. Benedicite.

Antiph. Consummatus in brevi explevit tempora multa ; placita enim fuit Deo anima illius.

Psalm. Laudate Dominum de Coelis.

Capitulum. Beatus vir , *ut supra.*

Hymnus.

IGnescit ira Praesidis ,
Pudetque vinci a parvulo :
Olim gigantem Goliath
David puer sic fregerat.
Probata tandem concidit
Rotato ab ense victima ,
Columba qualis innocens
Petivit astra spiritus.
Gaudens , Potite , gloriae
Victor bravium suscipe :
Hinc nos Patrone , Virgines
Malis tuere ab omnibus.
Honor , decusque debitum
Sit Trinitati jugiter
Quae per Potitum Coelica
Nobis rependat munera. Amen.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus.

Antiph. In sanctitate serviamus Domino , qui puerum , et Martyrem suum Potitum elegit ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Oratio. Deus , qui nos , *ut supra.*

Ad Horas Antiph. de Laud. Capit. ℟ ℟. *et* ℣ ℣. *de comm. unius Mart. Orat. ut supra.*

In secundis Vesp. omnia ut in primis praeter ult. Psalm. Credidi.

℣. Justus ut palma. ℟. Sicut cedrus.

Ad Magnificat.

Antiph. Omnes gentes magnificate Dominum, fecit enim Martyri Potito magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Oratio ut supra com. seq. etc. ut in Brev.

DIE V. MARTII

In Festo S. Joannis Josephi a Cruce confessoris 1. ord. min. excalceatorum S. Petri de Alcantara. Dup. 2. clas. Omnia de Comm. Conf. non Pontif. praeter sequentia.

Ad Vesperas.

Hymnus.

Exurge tellus Itala
Novoque plaude Coeliti;
Mari e superno ad inferum
Nomen Joannis insonet.
Primis ab annis gaudia
Caduca mundi respuens.
Francisci ad instar, pectore
Crucem sereno amplectitur.
Hac fretus una, perpeti
Adversa cuncta discupit,
Et mille passim gratia
Doloris artes suggerit.
Flagella tergum sauciant,
Somnos abarcent lumina,
Dapes negantur, aridis
Illudit unda faucibus.
At sponte qui se victimam
Tanti rigoris exhibet,

Coelestis hunc in caeteros
Facit benignum charitas.
Votis rependit jurgia ,
Turbis egentum providet ,
Reosque solvens crimine ,
Iter salutis edocet.
Virtute fulgens inclyta
Sic ille adivit sydera ;
Ibique Numen intuens
Amoris igne exaestuat.
Sit laus per omne saeculum
Sit Trinitati gloria ,
Quae nos Parentis optimi
Calcare det vestigia. Amen.
℣. Amavit etc.

Ad Magnificat.

Antiph. Qui vult venire post me, abneget semetipsum , et tollat Crucem suam , et sequatur me.

Oratio.

DEus , qui Sanctum Joannem-Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis , humilitatis , et patientiae vias coelesti gloria sublimasti : da nobis , quæsumus , ut carne mortificati , ejus imitemur exempla , et gaudiis perfruamur aeternis. Per Dominum etc.

Ad Matutinum.

Hymnus.

QUisquis molesta frangitur
Cura, Joanni supplicet:
Quid possit ille pendulae
Circum tabellae praedicant.
Hoc invocato nomine,
Febrilis aestus diffugit,
Morbi recedunt, deserit
Mors ipsa praedam territa.
Pressus patenti in aequore
Nimbos quid horret navita?
Adest Joannes: effera
Tam vis procellae evanuit.
Impune saxa corruunt,
Fructus dat arbor inscios;
Nutum jubentis turgida
Veretur unda fluminum.
Venite quotquot fraudibus
Coecis avernus implicat,
Venite quotquot jugiter
Premunt reatus pondera.
Solator indigentium
Cunctis medelam porriget:
Fides redibit mentibus,
Complebit ardor pectora.
Sit laus per omne saeculum,
Sit Trinitati gloria,
Quae nos Parentis optimi
Calcare det vestigia. Amen.

In I. Nocturno.

Lectio I.
De Epistola B. Pauli Apostoli ad Corinthios. c. 1. 2.

VErbum Crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, idest nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi conquisitor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes. Quoniam et Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt: nos autem praedicamus Christum Crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.
℟. Euge serve etc.

Lectio II.

VIdete vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret: ut non glorietur omnis caro in con-

spectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut quemadmodum scriptum est; qui gloriatur, in Domino glorietur. ℟. Iustus etc.

Lectio III.

Et ego cum venissem ad vos, Fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc Crucifixum. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos. Et sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus mundi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram: quam nemo principum hujus saeculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. ℟. Iste cognovit etc.

In II. Nocturno.
Lectio IV.

Ischiae Regni Neapoli in Urbe apud Ænariam Insulam, Parentibus nobilitate sanguinis, morumque probitate praestantibus ortus est sanctus Joannes-Josephus de Cruce. Cristianae pietatis semina, quae in ejus animam supernis benedi-

ctionibus praeventam, cum lacte instillaverunt, fructus mox uberrimos adtulerunt. Tenerrima adhuc aetate, nedum a nugis puerilibus abhorruit, sed virtutes excolere coepit illustriores; silentii potissimum, mortificationis, mundi, suique ipsius abnegationis, quas assiduo orationis studio confovebat. Deiparae cultum, quem ad obitum usque in diem auxit, interea temporis adripuit: Dominicaeque Passionis, et Eucharistiae mysteria affectu peculiari prosequebatur. S. Petri de Alcantara Institutum, quod Joannes de S. Bernardo ex Hispanis Excalceatis, Clemente IX. adprobante, nuperrime in Italiam invexerat, divino afflante Numine, anno vitae suae sextodecimo amplexus est Italorum primus. Seraphico Patriarcha, fidissimoque ejus Alumno Petro de Alcantara in ipso tyrocinio sibi ad imitandum propositis, mirum quam perfecte poenitentiam hujus, et contemplationem, humilitatem illius, ac paupertatem jam tum fuerit adsequutus. ℟. Honestum etc.

Lectio V.

Tertio vix decurso a solemni Professione anno, Pedemontani Aliphae Coenobii fundationi destinatur, quod ejus opera exiguum adeo evasit, ut alterius, quod olim in Pedroso Extremadurae S. Petri de Alcantara Clericus ipse quoque excitaverat, imaginem simillimam referret. Sacerdotio ex obedientia inauguratus, disciplinis Moralibus, quas nunquam perdidicerat, improviso excultus visus est. Superiorum venia non longe ab eo Coenobio, Sacram eremum extruere adgressus subter excelsi montis dejectu, ut ab-

solveretur quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis mordaci lorica contectis, exportabat: ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu leges quasdam pro Sacro illo Recessu peculiares condidit, dignas quae a Sede Apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui sanctitatis, et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa XI. saeculi hujus decimoctavi initio, Fratres Italos Excalceatos ab Hispanis in Regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, Provinciae Neapolitanae S. Petri de Alcantara nuncupatae erectionem obtinuit. ℟. Amavit etc.

Lectio VI.

PRimus novae istiusmodi Provinciae Minister renuntiatus, regimen, quod abdicaverat, Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu adsumere coactus, difficile relatu est, quot, qualesque calumnias Dei famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum Fratrum Familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara contemplationis, ac poenitentiae spiritus altas inter suos radices ageret, quos praeclarissimis virtutum exemplis anteibat, humilitate in primis, rigidaque claustralis disciplinae custodia. Paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexagintaquatuor annis habitum adhibuit, perque vigintiqua-

tuor annos priscorum Eremicolarum ritu, pane tantum, ac fructibus victitavit; quod edulii genus ex obedientia deserere adstrictus, in nauseosum commutavit ferculum. Flagellis asperrimis, ciliciis, et Cruce ferrea acutis instructa claviculis corpus suum dilaniabat. Illud etiam de eo fertur, quod creberrimos inter orandum extases passus est, quodque Raptibus, Prophetia, Miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octuagenarius, apoplectico morbo correptus tertio nonas martias in osculo Domini obdormivit in Coenobio S. Luciae Montis urbis Neapolis, anno septigentesimo trigesimo quarto supra millesimum. Quem miraculis coruscantem, anno ab illius decessu quinquagesimo sexto, Pius VI. Pontifex Maximus Beatorum albo recensuit. Eumdem vero novis fulgentem signis Gregorius Papa XVI. anno millesimo octigentesimo trigesimo nono solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis in canonem Sanctorum retulit, atque in ejus honorem Officium cum Missa propria ab universo Minorum Ordine recitari praecepit.

℟. Iste homo etc.

In III. Nocturno.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap. 4.*

IN illo tempore: dixit Jesus turbis: qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia Sancti Bonaventurae Episcopi.
Comment. in Cap. XIV. Evang. Luc.

QUi non bajulat crucem suam per perfectam carnis mortificationem, et venit post me per rectam intentionem, non potest meus esse discipulus per certam imitationem. Et nota, quod hic est consumatio discipulatus Christi, et comitatus, scilicet in bajulando crucem, quia ibi Christus consumavit, sicut dicitur Joannis decimonono: Et bajulans sibi Crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum. In Cruce enim Christi est summa humilitas: Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Summa paupertas; ita ut vere posset dicere illud Job: Nudus egressus sum de utero matris meae, et nudus revertar illuc. Unde in Joanne dicitur, quod milites, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes. Est ibi summa austeritas: secundum illud: Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. ℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

CRucem ergo bajulare, et humilitatem in corde, austeritatem in carne, et paupertatem in passione assumere, contra illa tria radicalia, et contra triplicem excusationem eorum, qui noluerunt venire ad coenam, quia haec Crux fuit Christi, quia Christus voluntarie eam suscepit. Similiter qui vult Christum sequi, oportet, quod portet eam voluntarie: ut ferat eam sicut crucem suam ex voluntate propria, non in angaria:

sicut alienam, alioquin non esset imitator Christi, sed potius Simonis, de quo dicitur in Marco: Angariaverunt praetereuntem quempiam Simonem Cyrenaeum, ut tolleret Crucem ejus. Ad hanc Crucem potissime nos invitat Christus, qui primus eam portavit, sicut vexillum, et signum regale. Unde Hebraeorum dicitur: Christus extra portam passus est, exeamus igitur ad eum.

℟. Sicut lumbi etc.

Lectio IX.

QUi ergo sic non vult sequi, non est Christi discipulus, quia non vult imitari eum in quo se praebuit exemplar nobis, et magistrum. Unde ad Galatas legitur: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. Propter quod Apostolus ad Corinthios: Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Unde Chrysostomus: Nullus verecundetur Crucem, etenim omnia quae secundum nos sunt, per Crucem perficiuntur, generatio, consecratio: propter hoc in domo, in januis, in viis, in frontibus, et in mente scribimus. Haec igitur bajulanda est tanquam signum Dei vivi, de quo in Apocalypsi: Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terrae, et mari, dicens: nolite nocere terrae, et mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei nostri in frontibus suis; ut sciat, scilicet, manifeste qui sit Christi discipulus. Te Deum laudamus.

Ad Laudes.

Hymnus.

O Ter quaterque nobilis
Montani eremi cellula,
Cui sanctitatem contigit
Miram Joannis cernere.
Tibi superbae proxima
Ab Urbe turres invident,
Tecum frequenter coelicum
Immutat agmen sydera.
Sacro calescens Flamine
Levatur hic in aethera,
Jesu tenello dulciter
Affigit illic oscula.
Auditis? ista Virginis
Imago voces protulit:
Fonte hoc perenni munera
Derivat ille in supplices.
Tu qui beata e cellula
Opis fuisti prodigus,
Locatus inter Coelites
Preces clientum suscipe.
Tui sub umbra nominis
Felix quiescat Patria;
Honore templa floreant,
Ornentur Urbes moribus.
Sit laus per omne saeculum
Sit Trinitati gloria,
Qui nos Parentis optimi
Calcare det vestigia. Amen.

Ad Benedictus.

Antiph. Christo confixus Cruci, mortificationem ejus portavit in corpore; et ideo Deus exaltavit illum in gloria.

Ad II. Vesperas.

Omnia ut in primis. Ad Magnificat.

Antiph. Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.

Missa Justus ut palma *de Comm.* 2. *loc.*

Oratio.

DEus, qui Sanctum Joannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis, et patientiae vias coelesti gloria sublimasti: da nobis, quaesumus, ut carne mortificati ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur eternis. Per Dominum etc.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 14. *v.* 27.

IN illo tempore: dixit Jesus turbis: Qui non bajulat Crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consumare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus

alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens, rogat ea quae pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.

DIE VI. MARTII.

In festo B. Coletae Virg. 2. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. Virg. 1. loc. praeter seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatam Coletam Virginem tuam coelestibus donis cumulasti: tribue quaesumus, ut ejus virtutes aemulantes in terris, aeternis gaudiis cum ipsa perfruamur in coelis. Qui vivis et regnas.

Lect. 1. *Noct.* De Virginibus.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Picardiae Civitas Corbeja, Dioecesis Ambianensis, beatae Coletae natalibus ex matre sterili, et sexagenaria illustris effecta est. Haec ab ineunte aetate coepit ardentius colere officia charitatis; ita ut quidquid habere poterat, hilariter pauperibus largiretur. Orationi assidue vacans, solitaria loca quaerebat, tenerum ibi corpusculum affligens jejuniis, carnem spiritui subjiciens, catena ferrea, cilicioque numquam,

aut raro depositis, humi cubans, cum eam necessarius somnus occupabat. Quartum decimum aetatis annum agens orationibus impetravit a Domino, ut corpus suum, quod exiguum remanebat, subito ad justam magnitudinem excresceret, ac vultus venustas, ne forte alicui occasionem praeberet delinquendi, in terreum colorem mutaretur. A daemonibus frequenter lacessita, diversisque apparitionibus exagitata, vulneribusque toto corpore lacerata, ab oratione tamen numquam recedebat, in qua saepe in extasim rapta, Angelorum visione, et colloquio potiebatur.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

FAcultatibus pauperibus distributis, Tertii Ordinis Sancti Francisci Regulam professa, novas praecedentibus austeritates superaddens, vitam plane coelestem aggressa est, nudis semper pedibus etiam hyemis tempore, incedens, et continuis jejuniis corpus suum pene conficiens. Tum se ad restaurandam Monialium Sanctae Clarae pluribus in locis collapsam disciplinam, a Deo varie admonita, destinari cognovit; cui humiliter diu reluctans, linguae, oculorumque usu deperdito, tandem voluntati divinae sese subjicere coacta est. Utroque autem sensu mox in integrum restituto, divino Spiritu afflata, Apostolicae Sedis adire praesentiam decrevit, ut a Summo Pontifice, praedictum opus executioni mandandi facultatem exposceret. A quo benedictione accepta, susceptoque praedictae

reformationis mandato, in patriam rediens tantum opus alacriter inchoavit. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

CUm autem summo studio, tam antiquis Monasteriis reformandis, quam novis extruendis incumberet, ingruentes difficultates admirabili constantia superavit. Paupertatis semper studiosissima fuit, unica tunica, eaque districta, contenta, angustissimam cellam in angulo habens, nulla suppellectili instructam, praeter stramineum saccum, qui ei pro lectulo erat. Charitate, patientia, humilitate, mansuetudine, ceterisque virtutibus decorata, dono etiam prophetiae illustris, abdita fidei mysteria divinitus edocta ita penetravit, ut de his altissime dissereret. Multis tandem et maximis patratis miraculis, morte sua ante biennium praecognita omnibus Sacramentis munita, hortatisque Sororibus ad regularem disciplinam, obdormivit in Domino pridie Nonas Martii, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, Gandavi in Flandria in Monasterio a se aedificato; in quo sacrae ejus Reliquiae assidua fidelium veneratione coluntur. Pius Septimus Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctarum Virginum albo adscripsit. ℟. Afferentur Regi.

In 3. *Noct. Hom. in Ev.* Simile erit regnum Coelorum decem virginibus, *de eod. comm.* 1. *loc.*

DIE XI. MARTII.

In festo S. Catharinæ Virginis Bononiensis 2. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.

℣. Ora pro nobis Beata Catharina.

℟. Ut digni etc.

Ad Magnificat.

Antiph. Sponsa Jesu amabilis, Catharina Virgo, quae nunc in aeterna patria sublimaris, almis tuis praecibus fac nos consortes Coelestium civium, quibus collaetaris.

Oratio.

COncede nos famulos tuos, Deus, Beatae Catharinae Virginis suffragiis adjuvari, cujus odore unguentorum trahimur ad tua sancta laetantes. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Joannis de Deo, ut in Brev. Postea Feriae occurrentis Lect. trium Noct. ut in Brev. cum ℟℟. de comm. Virg.

Ad Laudes omnia de comm. Virg.

℣. Ora pro nobis etc. ℟. Ut digni etc.

Ad Benedictus.

Ant. Clarum nobis effulsit sidus, cum Catharina Virgo supernorum civium coetui adjuncta est in aeternum.

Orat. Concede nos, *ut sup. Deinde fit comm. Fer.*

In 2. Vesp. omnia de comm. Virg.

℣. Ora pro nobis etc. ℟. Ut digni etc.

Ad Magnificat.

Antiph. O paupertatis, obedientiae, ac pudicitiae specimen, Beata Catharina, quae hodie ad Sponsi tui nuptias vocata es: duc nos per semitas justitiae ad verae pacis cumulum, ut summum Regem gloriae tecum possideamus in aeternum.

Oratio. Concede nos famulos tuos, *ut supra.*

Deinde fit comm. seq. et Fer.

DIE XIII. MARTII.

In festo Beati Rogerii Conf. 1. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont.* 1 *loc. in Hymn.* Meruit supremos *praeter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui Seraphico famulo tuo Francisco Beatum Rogerium, et socium, et imitatorem eximium adjunxisti: da nobis utriusque interventu, amborum ita sequi vestigia, ut assequamur et praemia. Per Dominum.

In 2. Vesp. a Cap. seq. in Hym. Meruit supremos.

Comm. praec. Fer. ac Transl. S. Bonaventurae.

DIE XIV. MARTII.

In festo B. Petri de Treja sive de Monticulo Conf. 1. Ord. dupl.min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Petrum Confessorem tuum, coelestibus donis cumulasti; praesta quaesumus, ut ejus patrocinio gaudeamus in terris, et gloriae consortio perfruamur in coelis. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. Noct. Beatus vir *de 2. loc.*

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

PEtrus a Monticulo Trejae in Piceno piis parentibus natus, perfectionis percupidus, Religioni a S. Francisco nuper fundatae nomen dedit. Tyrocinio laudabiliter emenso, votisque nuncupatis, cum in regulari observantia, virtutum studio, humanisque scientiis multum profecisset, verbo Dei preco renuntiatus est, quod munus ferventissime cum animarum lucro aliquandiu obivit. ℟. Honestum.

Lectio v.

IN Forani Coenobio, B. Conradi ab Offida, cum quo familiaritatem, et spiritus communicationem inierat, eximiam pietatem, ac spiritus fervorem aemulatus est. Orationi, rerum coelestium contemplationi assiduus, vigiliis aliisque cruciatibus corpus affligens, Christum pro nobis passum, jugi meditatione recolebat, hinc

die quadam coram ejus Imagine orans, in extasim raptus visus est. Sanctum Michaelem Archangelum tanto prosequebatur devotionis affectu, ut ejus praesentia, et alloquio recreari meruerit. Coelesti Beatae Mariae Virginis, S. Joannis Evangelistae, suique Patriarchae Francisci apparitione dignatus, ea tamen erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputaret. ℟. Amavit.

Lectio vi.

CUm in Siroli Coenobium venisset, non ita multo post virtutibus, meritisque decorus, ad Coelum evolavit. Sanctitate, et Miraculorum gloria celebratissimus Beatorum cultum obtinuit. Ejus Corpus ad Aram Sacelli Sanctissimi Crucifixi prius depositum, mox ad alterum Beatissimae Virginis in Ecclesia Sancti Francisci translatum, magna semper in veneratione fuit. Quamobrem Pius Sextus Pontifex Maximus tertio Idus Septembris anni millesimi septingentesimi nonagesimi tertii, ut de eo Officium, ac Missa celebrari, ac recitari posset, indulsit. ℟. Iste homo.

Deinde fit comm. Translatio S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct. simplex.

Antiph. O Doctor optime.

℣. Ora pro nobis, *ut in ejus festo XIV. Julii.*

Oratio

DA quaesumus, omnipotens Deus, ut Beati Bonaventurae Doctoris, atque Pontificis Translationem recolentes, et ipsius eruditione proficiamus et charitatis ardorem jugiter aemulemur. Per Dominum.

In Laud. Antiph. Qui docti fuerint, *ut in ejus Festo XIV. Julii.* ℣. *et Oratio ut supra.*

DIE XV. MARTII.

In festo Commemorationis Sanctorum quorum Corpora, et Reliquiae in Ecclesiis Trium Ordinum S. P. Francisci asservantur, dupl. min. Omnia de comm. plurimor. Mart. praeter seq.

Oratio.

AUge in nobis, Domine, resurrectionis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris; et fac nos immortalis gloriae participes cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones. Fratres, debitores.

In secundo Nocturno.

Ex Tractatu S. Joannis Damasceni de Fide Orthodoxa. *Lib.* 4. *Cap.* 16.

Lectio iv.

CHristus Dominus Sanctorum Reliquias velut salutiferos fontes praebuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suavissimumque unguentum profluit. Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex aspera, et solida rupe, atque ex asini maxilla ad sedandam Sampsonis sitim, Deo ita volente, prosiliit, eritne, cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minime certe iis quidem, quibus Dei potentia honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, et exploratus est; atque il-

lud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur. Verum hi mortuorum numero minime habendi sunt. ℟. Sancti tui.

Lectio v.

Ex quo enim ipsamet vita, ac vitae Auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe Resurrectionis, fideque erga eum diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per eos daemones expelluntur, morbi profligantur, aegroti sanantur, caeci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac moerores discutiuntur, ac denique omne donum optimum a Patre luminum, eorum opera ad eos, qui fide minime dubia postulant, descendit. Quid non laboris suscipias, ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant? ℟. Verbera.

Lectio vi.

Honorandi certe, et quidem, ita ut in eorum nomine Deo templa extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in iis spiritualiter oblectemur, quo nimirum laetitia nostra iis, a quibus invitamur, congruat, ac non, dum eos colere, et demereri studemus, offendamus potius, et irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque servi ipsius oblectantur, quibus autem Deus offenditur,

iisdem etiam ipsius milites offenduntur quocirca in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus, et compunctione, et eorum, qui in egestate versantur, commiseratione (quibus obsequiis Deus potissimum conciliatur) Sanctos colamus. Statuas ipsis, ac visibiles Imagines erigamus, imo ipsi virtutibus eorum imitandis hoc consequamur, ut vivae eorum statuae, atque imagines simus.

℟. Tanquam.

In 3. Noct. Descendens *de* 2. *loc.*

DIE XVI. MARTII.

In festo B. Petri Senensis Conf. 3. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont.* 1. *loc. praeter seq. In Hymn.* Meruit supremos.

Oratio.

MEntis nostrae, quaesumus, Domine, superbiam, sanctae humilitatis spiritu deprime; qui coelestibus illustrationibus Beati Petri Confessoris tui humilitatem mirabiliter sublimasti. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct. in Quadrag.* Beatus vir. *Extra Quadrag. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus Civis Senensis una cum uxore pudice vitam ducens, ex pectinum opificio, quod Senis didicit, et usque ad senectutem exercuit, Pectinarii cognomen accepit. Humilitatis spiritu, abjectis vanis vestimentis, Tertii Ordinis S. Francisci Institutum amplexus est. Mortua inte-

rim uxore, ex qua nullam susceperat prolem, venditis omnibus, datisque pauperibus ad pietatis normam impensius animum excolere coepit. Hinc assidue celebre Nosocomium S. Mariae de Scala invisens, orationi vacans, et excubans, aut in S. Dominici Templo, aut in Ecclesia Deiparae Urbis Senarum praecipua, mire aliquando intellexit, quam bene Seraphicus Vir Franciscus Christi Crucifixi vestigia fuerit secutus. Ex quo factum est, ut deinceps apud Fratres S. Francisci Senis perpetuo vixerit, ubi Coelitum fruebatur deliciis, et contra Daemonum artes triumphabat. ℟. Honestum.

Lectio v.

IN rerum coelestium meditatione tanto charitatis Dei igne interius exardescebat, ut etiam exterius lux circumfusa cerneretur. Quapropter fama virtutis ejus ita increbuit, ut Sanctus, omnium, qui eum agnoscebant, judicio, merito appellaretur. At ipsa parvi pendens, aliena maximi faciens, humilitatem, veluti vitae Christianae decus, et perfectionis fundamentum coluit; ac omnia tegens silentio, etiam cum pectines venales exponeret: uno verbo pretium dicere solitus erat, et exinde digito labia concludere. Puritatem mentis, et corporis, abstinentia assidua, somno brevi, oratione protracta, crebrisque peregrinationibus, intemeratam servavit. Labes suae pueritiae in charta recensitas, cum aliquando ad locum arboris S. Francisci prope Senas deploraturus pergeret, propter lacrymas, quas Christi charitas ab ejus oculis expresserat, Angeli voce intellexit, omnia sua peccata plane sibi fuisse remissa. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Quibus virtutibus quanti meriti esset apud Deum, Deus ipse testatus est. Nam secreta cordium penetravit, mortuum puerum excitavit, ejusque patrem ab Iliaco morbo sanavit. Mapheum Civem Senensem dolore capitis laborantem, signo Crucis liberavit. Multa praedixit, quorum veritatem probavit eventus. Plurima etiam salutaribus monitis docuit, atque scripsit, in quibus scientia Sanctorum reperitur, et arcana Proverbiorum elucent. Unde celebre factum est nomen ejus apud Senenses, qui in maximis Reipublicae rebus nihil prius agebant, quam Petri sententiam agnoscerent. Ejus consiliis usus est splendidissimum Senarum decus, Beatus Ambrosius Sansedonius, quem consuetudine sancta sibi Petrus devinxerat. Denique labente anno millesimo ducentesimo octogesimo nono, magnis cumulatus meritis, et Ecclesiae Sacramentis rite munitus, apud eosdem Fratres obiit pridie Nonas Decembris. Ejus Corpus in Æde S. Francisci tumulatum, Reipublicae Senensis sumptu, nobili Sepulchro decoratum est, quod Deus innumeris miraculis gloriosum reddidit. Unde publico Decreto annuam ipsius memoriam Senatus, Populique interventu, celebrandam Senenses statuerunt, atque etiam nunc quotannis pia oblatione celebrant. Insignem Petri Sanctitatem Pius II. Pontifex Maximus oratione habita in Senensi Basilica declaravit, et Pius VII anno millesimo octingentesimo secundo ejus Festum cum Officio, et Missa recolendum indulsit. ℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Hom. in. Evang.* Sint lumbi, *de comm, ut sup.* 9. *lect. Hom. Fer.*

DIE XVIII. MARTII.

In festo B. Salvatoris ab Horta Conf. 1. O. dup. min. Omn. de comm. Conf. non Pont. praeter seq.

Oratio.

COncede, quaesumus, omnipotens Deus, ut Beati Salvatoris Confessoris tui memoriam recolentes; ipsius intercessione a cunctis malis liberemur in terris, et ad gaudia sempiterna pervenire mereamur in coelis. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. in Quadrag. Justus. *Extra Quadrag. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SAlvator, ex longo incolatu in Conventu Hortae Dioecesis Dertusanae, ab Horta dictus, in Oppido S. Columbae Farnesiae Gerundensis Dioecesis, ex humilibus, ac piis parentibus natus est. Iis adhuc puer orbatus, prius in gregis custodiam, mox in sutoriam artem Barcinonae incumbens, ita mores suos composuit: ut omnium in se oculos converterit. Viginti annos natus divino afflante Spiritu in Conventu S. Mariae a Jesu extra moenia Civitatis, ejusdem S. Francisci Ordini nomen dedit, et solemnia vota nuncupavit. Coquinae curatori in socium datus, in summa simplicitate, ac humilitae, laboriosi, abjectique officii munera obivit, brevique eximiam perfectionis praeclara dedit indicia, miraculis etiam jam tum coruscans, ita ut Fra-

tres arbitrarentur futurum, ut aliquando Ordinem eximia sanctitate illustraret. ℟. Honestum.

Lectio v.

PErfectioris vitae cupidus, ad Conventum S. Mariae a Jesu apud Dertusam, inde ad solitarium S. Mariae Angelorum Hortae, in quo regularis observantia maxime florebat, perrexit: mox ad alterum Reusii, atque interum Barcinonam contendit. Ubique omnium virtutum genere excelluit. Obedientiam praetulit singularem, paupertatem ita coluit, ut necessariis etiam carere gestiret, castitatem illibatam servavit, et carnis macerationi ita studuit, ut jugiter flagello se cæderet, et nudis semper pedibus incederet, asperrima cilicia, vilemque tunicam indueret, rigidissima, ac fere quotidiana jejunia servaret, humi vel super nudam tabulam brevissimum caperet somnum, ut orationi, rerumque coelestium meditationi diutius vacaret. ℟. Amavit.

Lectio vi.

SAnctitatem ejus illustravit Deus singulari miraculorum dono; nam signo Crucis, et aquae lustralis aspersione, caecos illuminavit, claudorum gressus firmavit, mutorum linguas solvit, surdorumque aures aperuit. Cordium occulta quandoque manifestavit, futura praedixit, Beatissimae Virginis, ac S. Pauli Apostoli, quos praecipua devotione prosequebatur, visione frui meruit. Quamobrem tanta apud omnes sanctitatis ejus fama invaluit, ut e longinquis etiam regionibus turmatim homines, aegri praecipue ut sanarentur, ad ipsum confluerent. Demum in Sardiniam na-

vigare jussus ; sui obitus certior factus, numquam in virtutis cultu ferventior visus fuit: gravissime tandem aegrotans, Ecclesiae Sacramentis devotissime susceptis, Crucifixi imaginem complexus, suavia cum Christo, et Beatissima Virgine colloquia miscens, Calari obdormivit in Domino, anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die decima octava Martii: statimque publica veneratione coli coepit, quam semper constantem, et in dies auctam Clemens XI. Pontifex Maximus confirmavit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. de eod. comm. 2 loc. Vesp. de seq. comm. Fer. tant.

DIE XIX. MARTII.

In festo S. Joseph Patriarchae Conf. Sponsi B. M. V. praecip. Patron. Monarch. Reg. Cathol. dupl. 2. class. Offic. ut in Breviario, Lect. 2. Noct. in posterum erunt haec, quae sequuntur.

Lectio iv.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus.

QUis, et qualis homo fuerit B. Joseph, conjice ex appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut Pater Dei, et dictus, et creditus sit: conjice, et ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubitas interpretari. Simul et memento magni illius quondam Patriarchae venditi in Ægypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, et gratiam. ℟. Ascendit.

Lectio v.

SIquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus, et ductus in Ægyptum, Christi venditionem praefiguravit: iste Joseph, Herodianam invidiam fugiens, Christum in Ægyptum portavit. Ille domino suo fidem servans, dominae noluit commisceri: iste Dominam suam, Domini sui Matrem Virginem agnoscens, et ipse continens, fideliter custodivit. Illi data est intelligéntia in mysteriis somniorum: isti datum est conscium fieri, atque participem coelestium Sacramentorum. ℟. Surge.

Lectio vi.

ILle frumenta servavit non sibi, sed omni populo: iste panem vivum, e coelo servandum accepit, tam sibi, quam toti mundo. Non est dubium, quin bonus, et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus, et prudens, quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium; solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidissimum.

℟. Cum inducerent.

DIE XX. MARTII.

In festo B. Ioannis de Parma Conf. 1. Ord. dupl. maj. Omnia de com. Conf. non Pont. praeter seq.

Oratio.

DEus, qui ad tui Nominis gloriam promovendam, Beato Joanni Confessori invictam spiritus fortitudinem contulisti; concede nobis, ut dex-

tera potentiae tuae adjuti, ad coelestis gloriae triumphum pervenire mereamur. Per Dominum.
In Quadrag. fit comm. Fer.
In 1. Noct. Lect. Beatus vir, *ut in eod. comm. 2. loc.*

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

JOannes ex antiqua Buraliorum Familia Parmae ortus, et primis pueritiae annis pie, sancteque educatus, Institutum Minorum S. Francisci est amplexus; in quo adeo floruit tum vitae integritate, tum sacrae doctrinae, et eloquentiae praestantia, ut et Bononiae, et Neapoli, ubi Theologiam docuit, ac denique Romae non minus doctus, quam Sanctus, haberetur. Quo factum est, ut Crescentius Minister Generalis ad Lugdunense Concilium ab Innocentio IV. accersitus, cum ipse senio impediretur, hunc in suas vices, et locum subrogaverit; mox universus Ordo eumdem in Generalem Ministrum elegerit. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

UBi ad Praefecturam accessit, eo suas contulit cogitationes, et curas; ut Regularem disciplinam sartam, tectamque servaret, eaque de causa Provincias omnes: vix duobus sibi Sociis adjunctis, pedes obiret. Etiam ab itinere fessus divinum Officium stans, et aperto capite recitabat. In Fratrum conventibus degens, vilioribus muniis fungebatur; noctu ad matutinas laudes surgebat, Sacrum quotidie faciebat; victu autem utebatur parcissimo, et simplicissimo. His virtutibus Galliae Regi, et pluribus Romanis Pontificibus mirifice se commendavit. Tanti habitus est a Graecorum Imperatore

Joanne Vatacio, ut hujus rogatu missus in Orientem fuerit tamquam Angelus pacis, ad Graecae Nationis unionem cum Ecclesia Latina conciliandam.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

In Occidentem redux, paucis post annis Praelaturam sui Ordinis a se abdicavit, rogatusque, ut successorem proponeret, S. Bonaventuram nominavit. Hinc in solitarium Graecii locum Reatinae Valli imminentem se recepit, ubi triginta annos Angelicam potius, quam humanam vitam traduxit. Sed cum, permittente Nicolao IV. novum iter in Greciam pararet, ad componendas Orientis turbas, quae jam recruduerant, morbo prope Camerinum correptus, quam sibi praenuntiaverat, mortem feliciter obiit. Camertes ejus corpori marmoreum monumentum publico sumptu excitarunt, nec destitere Fideles Sancti Viri exuvias, atque memoriam multiplici solemnis cultus ratione prosequi; donec Pius Sextus Pontifex Maximus eumdem jam miraculorum fama clarum, inter Beatos haberi, et Officii, ac Missae celebratione honorari concessit.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Hom. in Evang.* Ecce nos reliquimus. *Omnia de comm. Abbat.*

DIE XXII. MARTII.

In festo S. Benvenuti Episc. Auximani, et Conf. 1. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter Orat. seq.

Oratio.

DEus, qui Beatum Benvenutum Confessorem tuum atque Pontificem, pastorali solicitudine jugiter vigilare tribuisti: concede quaesumus, ut ejus interventione, quae nobis agenda praecipis exequentes, ad gloriae tuae fastigium feliciter perducamur. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Benedicti Abbatis ut in Breviar. Postea feriae occurrentis.

In 1. Noct. Lect. Fidelis sermo, *de eod. comm. 1. loco.*

In 2. vero, et 3. de eod. comm. 2. loco.

DIE XXIII. MARTII.

In festo S. Petri Damiani Cardinalis Ep. Ostiensis, et Eccl. Doct. dupl. min. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter sequentia.

In utrisque Vesp. Antiph. ad Magnif. O Doctor optime. *ex comm. Doct.*

Oratio.

Concede nos quaesumus, omnipotens Deus, Beati Petri Confessoris tui, atque Pontificis monita, et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

In I. Noct.

Lect. de Script. occurr. In Quadrag. vero Fidelis sermo, *de comm. Pont.*

In II. Noct.

Lectio iv.

Petrus Ravennae honestis parentibus natus, adhuc lactens a Matre numerosae prolis pertaesa abjicitur; sed domesticae mulieris opera semivivus exceptus, ac recreatus, Genitrici ad humanitatis sensum revocatae redditur. Utroque orbatus parente tamquam vile mancipium sub aspera fratris tutela duram servitutem exercuit. Religionis in Deum, ac pietatis erga patrem, egregium tunc specimen dedit; inventum siquidem forte nummum non propriae inediae sublevandae, sed Sacerdoti, qui Divinum Sacrificium ad illius expiationem offerret, erogavit. A Damiano fratre, a quo, uti fertur, cognomentum accepit, ejus cura litteris eruditur; in quibus brevi tantum profecit, ut magistris admirationi esset. Quum autem liberalibus scientiis floreret et nomine, eas cum laude docuit. Interim, ut corpus rationi subderet, sub mollibus vestibus cilicum adhibuit, jejuniis, vigiliis, et orationibus solerter insistens. Calente juventa dum carnis stimulis acriter urgeretur insultantium libidinum faces, rigentibus fluvii mersus aquis noctum extinguebat; tum venerabilia quaeque loca obire, totumque Psalterium recitare consueverat. Ope assidua pauperes levabat, quibus frequenter pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat ℟. Inveni David.

Lectio v.

Perficiendae magis vitae causa in Avellanensi Eugubinae Dioecesis Coenobio, Ordini Monachorum Sanctae Crucis Fontis Avellanae a Beato Ludulpho Sancti Romualdi discipulo fundato, nomen dedit. Non ita multo post in Monasterium Pomposianum, mox Coenobium Sancti Vincentii Petrae Pertusae ab Abbate suo missus, utrumque Asceterium verbo sacro, praeclaris institutionibus, et moribus, excoluit. Ad suos revocatus post Praesidis obitum Avellanitarum familiae praeficitur, quam novis, variis in locis exstructis domiciliis, et sanctissimis institutis ita auxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecipuum ornamentum jure sit habitus. Salutarem Petri sollicitudinem alia quoque diversi instituti Coenobia, Canonicorum Conventus, et populi sunt experti. Urbinati Dioecesi non uno nomine profuit. Theuzoni Episcopo in causa gravissima assedit: ipsumque in recte administrando Episcopato, consilio et opera juvit. Divinorum contemplatione, corporis macerationibus, caeterisque spectatae sanctimoniae exemplis excelluit. His motus Stephanus Nonus Pontifex Maximus eum, licet invitum et reluctantem, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creavit, et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidissimis virtutibus, et consentaneis Episcopali ministerio operibus gessit. ℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

Difficillimo tempore Romanae Ecclesiae, Summisque Pontificibus doctrina, Legationibus, aliisque susceptis laboribus mirifice adfuit. Adversus Nicolaitarum, et Simoniacam haereses ad mortem usque strenue decertavit. Hujusmodi depulsis malis, Mediolanensem Ecclesiae Romanae conciliavit. Benedicto, et Cadolao falsis Pontificibus fortiter restitit. Henricum quartum Germaniae Regem ab iniquo uxoris divortio deterruit. Ravennates ad debita Romano Pontifici obsequia revocatos, sacris restituit. Canonicos Veliternos ad sanctioris vitae leges composuit. In Provincia praesertim Urbinate vix ulla fuit Episcopalis Ecclesia, de qua Petrus non sit benemeritus. Eugubinam, quam aliquando creditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perinde curavit, ac si suae essent tutelae commissae. Cardinalatu, et Episcopali dignitate depositis, nihil de pristina juvandi proximos sedulitate remisit. Jejunium sextae feriae in honorem Sanctae Crucis Jesu Christi; horarias Beatae Dei Genitricis preces, ejusque die Sabbato cultum propagavit. Inferendae quoque sibi verberationis morem ad patratorum scelerum expiationem provexit. Demum sanctitate, doctrina, miraculis, et praeclare actis illustris, dum e Ravennate Legatione rediret, Faventiae octavo Kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum, frequenti populorum veneratione colitur. Ipsum Faventini non semel in praesenti discrimine propitium experti, Patronum apud Deum delege-

runt. Leo vero Duodecimus Pontifex Maximus Officium, Missamque in ejus honorem tamquam Confessoris Pontificis quae aliquibus in Dioecesibus, atque in Ordine Camaldulensium jam celebrabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationis Consulto, addita Doctoris qualitate, ad universam extendit Ecclesiam.

℟. Iste est.

In 3. Noct. Hom. in Evang. Vos estis sal terrae, *de comm. Doctor.*

DIE XXIV. MARTII.

In festo S. Gabrielis Archangeli dupl. maj.

Ad Vesp. Antiph. Ingresso Zacharia, *cum reliquis de Laudibus.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliq. de Dominica, et loco ult. Psal.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

At si Festum transferatur, et de eo recitandae sint etiam ii. Vesp. tunc in primis Psal. ult. erit Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Dan.* 9.

ECce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres.

In utrisque Vesp., et Laudib.

Hymnus.

MEntibus laetis jubilemus omnes,
Plectra tangentes fidibus canoris:
Inclytus quando Gabriel ab alto
Fulget Olympo.

Virginis summae Paranymphus adest
  Hodie nobis, simul Angelorum,
  Plurimis Christum venerans triumphis
    Concio tota.
Coetus hinc noster Gabrielis almi
  Concinat laudes, celebretque nomen,
  Unus ex septem, Domino qui in aula
    Jugiter astant.
Nuntius Coeli, mediator idem
  Extat a summis Gabriel ubique
  Laetos, et mundo reserat secreta
    Omnipotentis.
Nuntia nobis, Gabriel, precamur,
  Pacis aeternae speciale munus:
  Quo poli tandem teneamus aulam
    Semper ovantes.
Praestet hoc nobis Deitas beata
  Patris, ac Nati, pariterque Sancti
  Spiritus, cujus resonat in omni
    Gloria Mundo. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟: Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat.

Antiph. Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

Deus, qui inter ceteros Angelos, ad annuntiandum Incarnationis Filii tui mysterium, Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius

patrocinium sentiamus in coelis. Per eumdem Dominum.

Deinde fit comm. Feriae, si celebretur in Quadr.

Ad Matutinum. Invitatorium.

Regem Archangelorum Dominum, * Venite adoremus. *Psal.* Venite exultemus.

Hymnus.

EN noctis medium, surgite propere
Cantemus Domino jam nova cantica;
E Coelo Gabriel nam venit omnibus,
Vitae nuntius optimus.
Ingressus placide limina Virginis,
Quod prolem pariet coelitus, instruit,
Quae collum tumidi conterat aspidis,
Ac Adae genus erigat.
Alternis igitur jam chorus efferat
Exultans animo vocibus Angelum,
Humano generi qui nova tempora,
Et Coeli bona nuntiat.
Sed quae vox hominum promere sufficit,
Quae Mundo Gabriel munera conferat?
Sanctas hic animas, quas Deus advocat,
Laetus ducit in aethera.
Te Princeps igitur inclyte quaesumus,
Pro nobis miseris poscito gratiam;
Fac et propitium, qui valet omnia,
Nobis ut veniam afferat. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige, fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Psalm. Domine, Dominus noster.

Antiph. Ecce vir Gabriel, quem videram in visione, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me.

Psalm. In Domino confido.

Antiph. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, et tetigit me, et statuit me in gradu meo.

Psalm. Domine, quis habitabit.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ex Daniele Propheta.

Lectio i. *Cap.* 9.

EGo Daniel, cum adhuc loquerer, et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei Israel et prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei. Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, et locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, et intelligeres Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.

℟. Cum oraret Daniel, et confiteretur peccata sua, et peccata populi sui, * Ecce Archangelus

Gabriel cito volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini.

℣. Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui: Ecce Archangelus.

Lectio ii.

SEptuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, et dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: * Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.

℣. Tu autem animadverte sermonem, et intellige visionem. Ego.

Lectio iii.

ET post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis:

et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.

℟. Ecce vir Gabriel, quem videram, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, et docuit me, et dixit: * Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, et intelligeres.

℣. Gabriel fac me intelligere istam visionem: et venit, et stetit juxta ubi ego stabam: et ait ad me. Daniel. Gloria Patri. Daniel.

In secundo Nocturno.

Antiph. Gabriel Angelus apparuit Zachariae, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

Psalm. Coeli enarrant.

Antiph. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.

Psalm. Domini est terra.

Antiph. Respondens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.

Psalm. Benedicam Dominum.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Lect. ut in Breviar.

℟. *iv.* Factum est, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suae ante Deum, * Apparuit ei Angelus Gabriel, stans a dextris Altaris incensi.

℣. Cumque ingressus in templum Domini, incensum poneret secundum consuetudinem sacerdotii sui, Apparuit ei.

℟. *v*. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam dicens : * Ne timeas , quoniam exaudita est deprecatio tua , et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium , et vocabis nomen ejus Joannem.

℣. Et Zacharias turbatus est videns , et timor irruit super eum : ait autem ad illum Angelus : Ne timeas.

℟. *vi*. Ego sum Gabriel , qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te , et haec evangelizare : * Ecce eris tacens , et non poteris loqui usque in diem , quo haec fiant.

℣. Pro eo quod non credidisti verbis meis , quae implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria Patri. Ecce eris.

In tertio Nocturno.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalm. Cantate Domino.

Antiph. Gabriel Angelus Mariae dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.

Psalm. Dominus regnavit , exultet.

Antiph. Suscipe Verbum Virgo Maria , quod tibi a Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

Psalm. Benedic anima mea Domino.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi , Deus meus :

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lect. ut in Breviar.

℟. *vii*. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph , nuntians ei Ver-

bum, et expavescit Virgo de lumine: * Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

℣. Quae cum audisset turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio, et ait Angelus ei. Ne timeas.

Benedictio. Cujus festum colimus.

℟. *viii*. Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti: * Quae Gabrielis Archangeli dictis credidisti, dum Virgo Deum et hominem genuisti, et post partum Virgo inviolata permansisti.

Antiph. Ego sum Gabriel.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quae etc. Gloria Patri. Quae.

In Quadrag. ex. viii. et ix. Lect. fit una, et Lect. ix. erit de Hom. Feriae occurr.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit et Gabriel Angelus, stans a dextris Altaris incensi.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dom.*

Antiph. Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.

Antiph. Ego sum Gabriel Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

Antiph. Gabriel Angelus locutus est Mariae, dicens: Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.

Antiph. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriel Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Capitulum. Ecce vir Gabriel, *ut supra*.
Hymn. Mentibus laetis.
℣. Stetit Angelus, *ut supra in Vesp*.

Ad Benedictus.

Antiph. Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, et ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et multi in nativitate ejus gaudebunt: ipse enim praeibit ante faciem Domini parare vias ejus.

Orat. Deus, qui inter ceteros, *ut sup. in Vesp*.

Ad Tertiam.

Antiph. Ait autem Angelus.
Capitulum. Ecce vir Gabriel, *ut supra*.
℟. *br*. Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit.
℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxta aram. Gloria Patri. Stetit.
℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.
℟. De manu Angeli.

Capitulum. *Dan*. 9.

Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt, ut finem accipiat peccatum, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

℟. *br*. Ascendit fumus aromatum, * In conspectu Domini. Ascendit.
℣. De manu Angeli. In conspectu. Gloria Patri. Ascendit.
℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Nonam.

Antiph. Dixit autem Maria.

Capitulum *Dan.* 9.

SCito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt.

℟. *br.* In conspectu Angelorum, * Psallam tibi, Deus meus. In conspectu.

℣. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Psallam.

Gloria Patri. In conspectu.

℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Vesperae de Annuntiatione B. M. V. cum comm. S. Gabrielis Archangeli, Feriae, si celebretur in Quadrag. Si vero dicendae sint ii. Vesperae S. Gabrielis, tunc dicitur.

Antiph. Ingresso Zacharia, *cum reliquis de Laudibus supra.*

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica et loco ult. Psal.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo.

Capit. et Hymn. ut in 1. Vesp.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat.

Antiph. Archangelus Gabriel ait ad Mariam : Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

XXVI. MARTII.

In festo B. Rizzerii de Mucia Confessoris duplex. Omnia de comm. Conf. non Pont. primo loco praeter ea, quae hic propria adnotantur.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Beato Rizzerio Confessori tuo donum curationum contulisti, tribue nobis quaesumus, ut ejusdem intercessione ab omnibus malis expediti, coronam gloriae consequi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Rizzerius in Castro Muciae Diœcesis Camerinensis nobili genere ortus Bononiae humanis disciplinis animum excoluit. Ibi quum concionibus Seraphici Patris una cum Beato Peregrino de Fallerone interfuisset, ambo protinus ad illum accesserunt, habitumque Minorum impetrarunt. Tum Rizzerius per viam activam ambulans, ac Deo, proximoque fideliter serviens, quum in maximam Sancti Patris familiaritatem pervenisset,

Minister Provinciae Picenae Anconitanae constituitur, quam quidem prudentissime administravit.

Lectio v.

Ut vero tamquam aurum in fornace probaretur gravissimas illi Deus tentationes permisit, quibus superandis in abstinentia, asperis corporis castigationibus, lacrymis, et Orationibus se plurimum exercuit. Ut autem gratiam, quam impetrabat promptius obtineret, ad Seraphicum suum Patrem contendit, cujus ope, ut tradunt Sancti Bonaventura, et Antoninus a Deo liberatur. Exinde ab ejusdem Sancti Francisci, qui graviter aegrotabat, latere dimovere se noluit, eique morienti adfuit. A quo quum audisset Minorem Fratrem solis vestibus oportere se esse contentum, ei se regulae perfecte conformavit.

Lectio vi.

Tandem virtutibus, et miraculis clarus anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto in patria sua spiritum Deo reddidit. Ejus corpus in Ecclesia Sancti Jacobi secreto in loco occlusum tamdiu mansit, donec judicialiter Episcopali auctoritate fuit recognitum. Cultus tamen statim ab illius obitu inceptus, et continua miraculorum serie erga eos praesertim, qui febribus, ut constans fert traditio, laborabant, confirmatus ad nostra usque tempora perennavit. Quem rite examinatum Gregorius Decimus Sextus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, confirmavit, hujusque festi honorem concessit.

In tertio Nocturno de Homilia in Evangelium.

Sint lumbi vestri » *Missa* » Os justi » *de Communi cum prima Oratione propria.*

DIE XXVII. MARTII.

In Festo B. Peregrini e Falerone Conf. Ord. Min. S. Francisci dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

OMnipotens, et misericors Deus, qui nobis in Beato Peregrino Confessore tuo insigne humilitatis exemplar tribuisti: praesta quaesumus; ut ipsius vestigiis in terris, promissa humilibus praemia consequamur in Coelis. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct.* Beatus vir *de eod. comm.* 2. *loco. Extra Quadrag. de Script.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEregrinus Faleroni in Piceno natus, pie a piis, nobilibusque Parentibus educatus, Bononiam adolescens petiit, ut in frequentissima illa Universitate Philosophicis Disciplinis, ac scientiae Canonum, et Decretalium incumberet: Quum autem in iis ibi valde proficeret, illuc, divina disponente gratia, Beatus Franciscus perrexit, cujus aspectu, habitu, incessu, et praedicatione excitatus Peregrinus, derelictis, quae mundi sunt, Minorum Ordini aggregari ferventissime studuit. Factus autem voti compos ab ipso Beato Institutore, simulque ab eo monitus, ut viam humilitatis teneret, constanter hanc veloci pe-

de calcavit, humilem propterea servans Laici statum, licet sublimioribus facultatibus instructus.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi Regnum Dei. Et dedit illi.

Lectio v.

HUmilitatio Theologicas Cardinalesque Virtutes adjunxit. Charitate praesertim, ac Religione flagrans, obtenta venia, sanctificata opere Redemptionis nostrae loca, Evangeliorum volumen secum ferens visitavit, martyrii quoque desiderio succensus. Quae ut primum corporeis a longe oculis cernere datum est, mirum dictu, quot, quantisque spiritus fervoribus compunctionis suae, ac fidei argumenta praebuerit. Terram illam amplexibus tenens, osculis donans, lacrymis rigans, salutis humanae mysteria meditabatur. Quum autem Loca sancta mirabili lacrymarum effusione, ac pietate singulari recoleret, maximam in cernentium cordibus devotionem excitabat.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam Fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

ITaliam, et Patriam repetens raro admodum suos nobiles Consanguineos visitare consuevit. Et nonnisi ut illos Christo lucrifaceret, sermonem ad suos habebat, eosdem divini verbi pabulo reficiens, et salutis semitam docens. Meritis tandem, virtutibus, ac miraculis clarus S. Bonaventura in illa Ecclesia S. Francisci sub Ara collocavit, ibique, et alibi sexcentis abhinc annis publico Ecclesiastico cultu veneratur. Aucta autem miraculorum fama, eorum praesertim, qui dentibus laborantes ad tactum dentis ejusque Beati praesidium experiuntur, Pius Septimus Pontifex Maximus, supplicantibus Archiepiscopo Firmano, Episcopo Septempedano, Minorum Conventualium Ordine, nec non Clero, Magistratu, ac Populo Oppidi Faleroni Dioecesis Firmanae, cultum illius approbavit die vigesima octava Julii anni millesimi octingentesimi vigesimi primi.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae loquutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

Lect. 3. Noct. de eod. comm. 2. loco cum ix. Lect. Fer. ejusque comm. in Laud.

DIE XXVIII. MARTII

In festo B. Marci de Monte Gallo Confessoris duplex (M. S.) Omnia de Communi Confessoris non Pontificis primo loco praeter sequentia.

Oratio.

Deus qui per Beatum Marcum Confessorem tuum, ad tui et proximi amorem Fideles excitasti, quaesumus, ut ejus precibus et meritis charitatis opera jugiter exercere mereamur. Per Dominum nostrum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Marcus in Oppido Sanctae Mariae de Monte Gallo Asculanae Dioecesis in Picena Provincia nobilibus parentibus ortus, puerilem aetatem claris adeo virtutibus illustravit, ut futurae sanctitatis spem certam omnibus ingesserit. Liberalibus disciplinis Perusiae, et Bononiae excultus est, medicamque artem laurea donatus exercuit. Parentis voluntati obsequutus conjugalem statum amplexus est: illo tamen vita functo, conjugis consensu, ut impensius Deo uterque vacaret, alter in Eremo Fabriani inter Minores Sancti Francisci Observantes, altera inter Civitatis Asculanae Clarissas regulari sese vitae dedicarunt. Tu autem Domine miserere nobis.

Lectio v.

Hinc Marcus ob singulares virtutes nactus famam sanctitatis Eremo Sancti Severini praeficitur. Coelesti tamen, ut perhibent, visione per Deiparam Virginem excitatus Apostolicum verbi Dei praedicandi munus suscepit, quod per omne ferme Picenum, aliasque civitates annos quadraginta ita gessit, ut uberrimum animorum lucrum collegerit. Fuit autem hoc illius charitatis praecipuum, ut ad levandam miserorum inopiam montem pietatis plurimis in locis erigi curaverit. Neque minus ceteris virtutibus eluxit: fuit enim Dei, et Ecclesiae mandatorum, suique instituti regularum diligentissimus custos. Praesulum dicto imprimis audiens, humilitate, oratione, sui corporis castigatione excellens; omnibus fuit admirationi, coelestibusque uti ferunt, a Deo exornari promeruit donis. Tu autem Domine.

Lectio vi.

Vicentiae tandem dum secundo publice concionaretur, annorum juxta, et meritorum plenus, gutturis angina correptus, die, quam praedixerat nono et decimo Martii anno reparatae salutis millesimo quatercentesimo nonagesimo septimo aetatis suae septuagesimo ad Sancti Marcelli Hospitium obdormivit in Domino. Morte vix sequuta magnus populi Sanctum inclamantis, suumque cultum variis modis significantis factus est concursus. Corpus deinde in Ecclesiam sui Ordinis solemni pompa translatum in loco ab aliis separato, atque ab humo elevato fuit compositum. Communis po-

pulorum veneratio ad hunc usque diem permanet adeo, ut illam rite probatam Sacra Rituum Congregatio confirmavit, ac praesens Festum universo Minorum Sancti Francisci Observantium Ordini Gregorius Papa XVI benigne concesserit. Tu autem etc.

DIE XXX. MARTII.

In festo B. Angelae Fulginatis Viduae 3. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter sequentia.

Oratio.

DEus dulcedo cordium, et lumen Beatorum, qui Beatam Angelam famulam tuam mira rerum coelestium contemplatione recreasti, concede, ut ipsius meritis, et intercessione, ita Te cognoscamus in terris, ut in revelatione gloriae tuae gaudere mereamur in Coelis. Per Dominum.

In Quadrag. fit comm. Fer.

In primo Nocturno.

Lectio. Mulierem fortem, *ut in eod. comm.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANgela Fulginei in Umbria claris orta parentibus, saeculi pompis aliquandiu indulsit, donec Matre, Marito, ac Filiis propediem vita functis, Confessarii ex Ordine Minorum, non absque Divino consilio delecti, opportuna commonitione excitata, ac perculsa, vanitates omnes abdicavit, ut Christianae perfectionis viam

ingrederetur. Hanc ut facilius arriperet, atque ab impedimentis magis expedita perficeret, temporalia omnia bona, quibus affluebat, in Coelestes thesauros per manus pauperum deportari voluit, ut se totam Christo Domino manciparet Tertii Ordinis Sancti Francisci Institutum, quod Poenitentium vocant, omnium prima in Patria adoptavit, cujus exemplo plures aliae mulieres, adhaerentes ipsam tamquam Matrem sequebantur. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Providebat Dominum in conspectu suo semper eumque a dextris sibi opitulantem adesse sentiebat, ne ab incoepta Christianae perfectionis semita deflecteret. Assisium se conferens, Coelestis voluptatis torrente sic eam Dominus in itinere potavit, ut ad Sacram Aram Beati Patris Francisci provoluta sancti amoris exusta flammis, quam sorderet tellus agnoscens, dum Coelestia gaudia mente volvebat, jam dissolvi, et esse cum Christo exoptaret. Octiduo mansit Assisii: quo tempore Coelestibus affluens deliciis, jam non amplius hospes, nec advena, sed Civis Sanctorum, et domestica Dei effecta videbatur. Interea tamen sensit neminem in Coelis coronandum, nisi qui prius legitime certaverit in terris. Hinc durum sibi a communi hoste paratum certamen agnovit. Quare tam frequentes, tam asperas tentationes, animique molestias ad longum tempus perpessa est, ut Sanctus Franciscus Salesius in perlegenda earumdem narratione, miram Angelae in iis perferendis patientiam, virtutemque laudaverit. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

In Dominicae Passionis meditatione jugiter detinebatur, ut Christum in Cruce passum recolendo, eadem cogitatione armata, maligni hostis insidias detegeret, ac validius superaret. Tanto autem in recolendis Christi Domini cruciatibus afficiebatur dolore, ut non raro inde febri correptam eam viderint Consorores; quae propterea sedulo curabant, ab ejusdem aspectu eas imagines amovere, unde Dominicae Passionis recordatio in ipsa posset excitari. Leprosi hominis manus abluere, et aquam cum leprae squamis sorbere, ac deglutire non abhorruit, ut Jesum felle, et aceto in Cruce potatum imitaretur. Virtutibus denique, meritisque plena, supernisque exornata charismatibus, supremum diem sibi imminere praesentiens, Ecclesiae Sacramentis munita, convocatis Sororibus, salutaria monita, ac maternam iisdem benedictionem impertivit. Inde Coelesti gaudio superfusa, mira animi tranquillitate obdormivit in Domino pridie nonas Januarii, anno reparatae salutis millesimo trecentesimo nono, aetatis suae sexagesimo primo. Ejus Corpus Fulginei in Ecclesia S. Francisci Fratrum Minorum honorifice tumulatum, ibi miraculis coruscans, summa Fidelium religione colitur. ℟. Fallax gratia.

In 3. Noct. Hom. in Evang. Simile est regnum Coelorum thesauro. *de eod. comm.*

FESTA APRILIS.

DIE III. APRILIS.

In festo S. Benedicti a S. Philadelpho Conf. 1. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter seq. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Benedictum Confessorem tuum coelestibus donis locupletasti, eumque in Ecclesia tua signis et virtutibus clarere fecisti: praesta quaesumus; ut ejus meritis, et precibus tua beneficia capiamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. Beatus vir, *ut in eod. comm. 2. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BEnedictus a corporis nigredine Sanctus Niger vulgo appellatus, in pago Sancti Philadelphi Messanensis Dioecesis, ex parentibus Mauris quidem genere, Religione tamen Catholicis ortus est. Ab ipsa pueritia Deum timere coepit, et mandata ejus custodire, corpus suum inedia, ac laboribus castigans, et in spiritus servitutem redigens. Ferventiori in Deum pietate accensus, in ipso juventutis flore, et familiari vendita, ac pauperibus distributa solitariam vitam, quam id temporis pii aliquot Viri sub Regula Sancti Patris Francisci, ex concessione Apostolica agebant, ad quadragesimum usque aetatis suae annum in omnium virtutum, et asperitatum exercitatione servavit. Verum, mandante Pio IV., ut iidem solitarii, Beati Fran-

cisci Institutum jam professi in unam ex probatis Religionibus sese reciperent, Benedictus Divino instinctu Panormum profectus, ad Fratres Minores Observantes Sanctae Mariae de Jesu statim se contulit. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

Religionem ingressus, virtutum omnium exercitium, asperrimumque vitae genus, quod in Eremo inchoarat, ita persecutus est, ut ab omnibus tamquam perfectionis exemplar haberetur. In humili namque Conversorum gradu constitutus, vilissima quaeque, ac laboriosa Coenobii munera alacriter obire semper est visus. Septem annuas Quadragesimas a Seraphico Patre institutas, et abstinentiam fere perpetuam pie, inviolateque servavit. Lectus illi nuda humus, somnus brevissimus, vestis hispida, ac vilis, paupertas summa, illibata castitas; Dei vero amor tam ardens, ut in lacrymas, et suspiria frequentissime erumperet. Saepe etiam in Divinarum rerum contemplatione defixus, supernorum charismatum dono ornari meruit; dignus propterea, qui in eodem Coenobio Sanctae Mariae de Jesu, cujus reformatio tunc coeperat, Fratrum regimini, licet Laicus plane rudis, praeficeretur. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

In Praesidem electus, reformationem illic institutam, suis exemplis, prudentique administratione firmavit: pusillum gregem ad paupertatis, poenitentiae, ac severioris disciplinae studium modis omnibus incendens. Annum denique cum ageret se-

xagesimum tertium extremo morbo correptus, et Sacramentis munitus, praenuntiato dormitionis suae tempore, die quarta Aprilis, anno millesimo quingentesimo octogesimo nono, spiritum Deo reddidit. Ejus corpus, quod integrum adhuc, suavique fragrans odore permanet, singulari veneratione in Urbe Panormitana statim coeli coeptum est. Quem quidem cultum non per Siciliam solum, verum etiam ad Hispanos, Lusitanos, Brasilienses, Mexicanos, et Peruanos, inde propagatum, decreto suo adprobavit Sedes Apostolica, anno millesimo septingentesimo quadragesimo tertio; ejusque festum, cum Officio, et Missa, die tertia Aprilis celebrari indulsit, Pius vero septimus Sanctorum albo adscripsit.

℟. Iste homo

In 3. Noct. Hom. in Evang. Nolite timere, *de eod. comm.*

DIE VIII. APRILIS.

In festo B. Juliani a S. Augustino Conf. 1. Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Julianum Confessorem tuum, per humilitatis, et innocentiae semitas ad coelestis gloriae fastigium perduxisti, fac nos per ejus vestigia gradientes superbe non sapere et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JUlianus a S. Augustino nuncupatus in oppido Medinaecoeli Dioecesis Saguntinae in Hispania honestis, piisque parentibus natus est. Sortitus animam bonam, et ad virtutem proclivem vel a teneris annis nonnulla sanctitatis specimina dedit; nam ludos pueriles abhorrens, in pietatis operibus exercendis, praesertim sacerdotibus, dum sacra peragerent, inserviendo totus erat. Factus adolescens de capiendo Minorum Instituto deliberare coepit. Voti compos factus in Recessu S. Mariae de Salceda Provinciae Castellae Regularis Observantiae tyrocinium inchoavit. Sed paulo post, Deo sic permittente, cum esset expulsus, non tamen propterea a concepto proposito recessit. Quin imo in montem vicinum se recipiens, cum ibi ex arborum ramis sibi tuguriolum efformasset, dies noctesque in corporis afflictatione, et rerum coelestium contemplatione transigebat, semel quotidie ad idem Coenobium accedens, parum obsonii cum aliis pauperibus recepturus. Qui dum aliquando in itinere pauperem nudum reperisset, misericordia motus illum, se nudato, vestivit. Quod heroicae charitatis facinus perpendentes Religiosi illum denuo in eorum sodalitium receperunt, ubi tandem tyrocinio laudabiliter expleto, solemnem maximo cordis jubilo professionem emisit.

℟ Honestum fecit.

Lectio v.

CUm primum Julianus se vidit per solemnia vota arctius Deo ligatum, vix dici potest quo animi fervore viam perfectionis fuerit prosequutus. Nullam exinde corpori suo concessit requiem. Jejunium illi perpetuum, cibus frequenter panis, et aqua, quandoque herbarum olera nullo adhibito condimento, raro parum piscis, et per integram Quadragesimam nihil praeter folia fabarum comedisse fertur. Somnum brevissimum, vel super nudam humum, vel super sarmentorum, et lignorum fasces carpebat. Catenam ferream per annos viginti quatuor ad carnem praecinctam gestavit, et ferreis pariter circulis brachia, femoraque contorsit. Obedientiae studiosissimus, malle se potius mori, quam non obedire saepe testatus est. Castitatem, quam ad obitum usque servavit illaesam, in aliis quoque, omni qua potuit diligentia, studuit promovere. Choreas idcirco tamquam libidinis fomitem acriter insectabatur, et nihil ut eas impediret omittens, rogos ad id noctu paratos pedibus licet nudis disjicere non dubitavit. Paupertatem ita coluit, ut neque lectum, neque cellam sibi destinatam unquam habuerit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

ORationi semper intentus Christi Domini, et Beatae Mariae Virginis, apparitionibus saepe recreabatur; et non semel dum in aperto aere ab eo recesserunt tempestates. Quam plura spiritu prophetico praedixit, et cordium secreta penetravit. Ad haec tantae erat humilitatis, ut se magnum

peccatorem reputaret, et se stultum faciens propter Christum poenitentiae opere, et supernos favores omni diligentia occultavit. Tandem meritis plenus, et miraculis clarus cum virtutum omnium, sed praecipue humilitatis, et innocentiae vitae praestantissima consodalibus suis exempla dedisset. Compluri in Conventu S. Didaci, Ecclesiae sacramentis rite munitus obdormivit in Domino die octava Aprilis anni millesimi sexcentesimi sexti. Defuncti cadaver flexibile suavem spirans odorem per dies decem et octo, ut populorum concursui fieret satis insepultum remansit. Servi sui sanctitatem Deus statim post mortem miraculis testatam voluit, quibus rite probatis Leo XII. Pontifex Maximus anno Jubilaei millesimo octingentesimo vigesimo quinto, illum inter Beatos solemniter cooptavit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. Lect. de comm. Conf. non Pont. 2. loc.

DIE XII. APRILIS.

In festo B. Angeli a Clavasio Conf. 1. Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui ad expugnandos Ecclesiae tuae hostes, Beatum Angelum Confessorem tuum invicta animi fortitudine roborasti, ejus nobis meritis, et intercessione concede: ut omnium hostium superatis insidiis perpetua pace laetemur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de Script. occurr. in Quadrag. Beatus vir, *de 2. loc.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANgelus Clavasii in Pedemontio nobili genere natus, ab ineunte aetate morum innocentia, et candore enituit. Adhuc adolescens tanto erga Dominicam passionem pietatis sensu afficiebatur, ut eum non semel intempesta nocte ad Christi e Cruce pendentis imaginem fervide orantem Mater invenerit. Sacrae Theologiae, et Juris utriusque laurea Bononiae insignitus, Senatorium Ordinem in Montis Serrati Provincia adeptus est. Interim Evangelicae perfectionis studio incensus, trigesimo circiter aetatis anno, mundo, opibus, nobilitati, ac dignitati valedicere statuit, soli Deo inter Fratres Minores Observantes famulaturus. Quamobrem, opulento patrimonio, et magistratu abdicato, Genuam proficiscitur, ibique Minorum Institutum amplectitur. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

SOlemni emissa professione, tantis mox virtutibus excellere coepit, ut omnibus admirationi fuerit, et exemplo. Fervens in eo erat orandi, ac meditandi studium: eximia prorsus in Christi passionem, Virginemque Deiparam pietas; flagrantissima in Deum, et proximum charitas. De animarum salute sollicitus, a praedicando Dei verbo vix unquam destitit, et Summam casuum conscientiae composuit, a suo nomine Angelicam nuncupatam. Pauperum adeo miserebatur, ut victum pro illis hostiatim quaereret; nec ulli unquam labori parceret, ut pii erigerentur montes ad eorum levan-

dam inopiam. Paupertatis, obedientiae, et castitatis rigidissimus cultor, corpus suum vigiliis, jejuniis, cilicio, flagellis attrivit. Quibus aliisque virtutibus in toto Ordine clarus, primum Genuensis Provinciae, totius post Cismontanae Observantium Familiae quartus Vicarius Generalis electus est; quae munia tam sancte gessit, ut illius quique prudentiam, charitatem, mansuetudinem, regularis disciplinae zelum suspicerent, animique simplicissimam humilitatem.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Apud Principes quoque, Summosque Pontifices prudentiae, doctrinae, ac sanctitatis opinionem nactus est maximam. Eum namque Carolus Sabaudiae Dux primus sibi in Confessarium elegit. Eumdem Sixtus Papa Quartus, ad evulgandum Cruciatae foedus contra Turcas, Apuliae oras tunc infestantes; et Innocentius Octavus ad reprimendam Waldensium haeresim, per Italiae fines grassantem, Nuntium, et Commissarium Apostolicum, bono, faustoque eventu delegarunt. Oblatas sibi inde amplissimas dignitates constantissime recusavit. Senio tandem confectus anno millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, aetatis suae octogesimo quarto Cunei sancto fine quievit. Corpus ejus in Ecclesia Fratrum Minorum Reformatorum extra moenia ejusdem Civitatis, quae eum in patronum sibi iterato adscivit, integrum adhuc, suavemque spirans odorem, singulari veneratione colitur. Quem quidem cultum ab immemorabili tempore ad aetatem nostram protra-

ctum, Benedictus XIII. Pontifex Maximus rite probavit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *de comm. 1. loc.*

DIE XVIII. APRILIS.

In festo B. Andreae Hybernon Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Andream Confessorem tuum admirabilis innocentiae, et contemplationis munere decorasti: ejus nobis precibus concede, ut inter mundi illecebras, et pericula, tibi uni toto corde adhaerere valeamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANdreas Hybernonius ex antiquo, et nobili Catholicórum novae Carthaginis genere ortus, Vergiliae, quae nunc Murcia dicitur, natus est, et in Cathedrali Templo sacro Baptismatis fonte regeneratus fuit. Pueritiam Alcantarillae, adolescentiam vero Valentiae apud Avunculum, mira innocentia traduxit, quam ad mortem usque nullo gravi flagitio foedasse perhibetur. Murciam Valentia redux, quum in ladrones incidisset, qui eum pecunia omni spoliarunt, hoc eventu rerum humanarum labilitatem agnoscens, annos natus viginti duos, Ordini Minorum S. Francisci nomen dare decrevit, certa spe confisus, coelestes

in eo thesauros fore consecuturum. Voti compos factus, et inter Laicos adscriptus, tanta alacritate novam a S. Petro de Alcantara institutam Reformationem aggressus est in Coenobio Hicitano, ut charitatis fervore, Votorum implemento, Constitutionum observantia, mortificationis studio religiosissimis Fratribus ad virtutem, pietatemque exemplo fuerit, ac incitamento.

℟. Honestum.

Lectio v.

Quam vero in seipsum asper, et rigidus, tanto magis in alios suavis, et benignus omnium praesto erat necessitatibus, quas praevenire satagebat. Ut sodalium onera levaret, impositis sibi muneribus diligentissime functus, illorum sibi officia deposcebat; eoque cupidius, ac libentius, quo graviora illa erant, atque viliora. Coelesti eruditus scientia, de Catholicae Religionis Mysteriis tam diserte loquebatur, ut vel ipsi Sapientes in admirationem raperentur. Eximia praeditus charitate, verbo et exemplo nedum perditos Christianos, sed ut ipsos Infideles Mauros, quorum plures in Hispania, erant reliqui, Deo lucrifacere studebat. Purgantes animas effusis assidue precibus, ac indulgentiis, quibus lucrandis totus incubuit, aliisque modis juvare curabat. Horas subripiebat somno, ut orationi vacaret, in qua tanto spiritus perfundebatur dulcedine, ut saepissime in extasim raptus, diu permaneret immotus. Hoc illi contigebat praecipue, cum oraret vel ante Imaginem Immaculatae Virginis, quam tenerrimo prosequebatur affectu, vel ante

sanctissimam Eucharistiam, cujus cultum impense promovit; vel cum mente recoleret acerbissimam Christi Passionem, in cujus meditatione non absque suavi lacrymarum effluvio diutissime perseverabat. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

PRophetia, et Miraculorum dono auctus Andreas, futura praemonuit, sanitatem restituit, annonam multiplicavit; unde celebre nomen obtinuit. Sanctus Paschalis Baylon, Venerabilis Joannes de Ribera, Archiepiscopus Valentinus ejus virtutum clarissimi praecones fuere; ipse solus erat, qui humiliter de se, demisseque sentiebat. Ordinis Praesides tanti viri sanctitate permoti, Murciam, Valentiam, Gandiam eum miserunt, ut eas in Urbes Minoritici Instituti Reformationem vel aggrederetur, vel jam inchoatam foveret, atque perficeret. Annum agens sexagesimum octavum pleuritide correptus, jamque dissolvi cupiens, et esse cum Christo, ita in lectulo mortis jacebat, ut non amplius ipse, sed in eo Christus vivere videretur. Sacramentis refectus, qua praedixerat die decima octava Aprilis, anni millesimi sexcentesimi secundi, placidissimo fine quievit. Ejus mortis vulgato nuntio, talis Populorum concursus ad eum videndum, venerandumque factus fuit, ut cultu potius, quam funere, sacrum Corpus elatum videretur. Novis autem accedentibus miraculis, Pius Sextus Pontifex Maximus die vigesima secunda Maji, anni millesimi septingentesimi nonagesimi primi, Beatorum honores ei indulsit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 12. *v.* 32.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
Comment. in cap. 12. Luc.

Pusillus grex dicitur respectu multitudinis reproborum hominum. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Vel pusillus ratione modicitatis propriae. Videte vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes vel pusillus ratione humilitatis voluntariae. Vos autem greges mei homines estis, et ego Dominus Deus vester. Est enim Deus humilium, et talibus promittit Deus regnum. Sinite parvulos venire ad me: talium est enim regnum Coelorum. Ideo subdit, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Placuit dare gratiam. Isaias: Ecce servus meus, suscipiam eum. Placuit dare Sapientiam: Abscondisti haec a Sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Placuit dare gloriam aeternam, sicut hic: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

℟. Iste est.

Lectio viii.

Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Sed quia durum est vendere, et dare absque compensatione, ideo subdit: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt; quia ista retributio est opulentissima, quae est in his saeculis, ideo subdit: Thesaurum non deficientem in Coelis. Et quod iste thesaurus sit indeficiens, ostendit: quia non potest amitti per fures, non potest corrumpi in se, ideoque addit: Quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Omnia bona mundi triplex interitus tollit: aut enim ex seipsis veterascunt; aut Dominorum luxu consumuntur; aut ab extraneis dolo, vi, vel calumnia diripiuntur. Et propterea in terris thesaurus indeficiens non potest haberi. Qui vult ergo indeficientem habere, dispergat in terris, ut abundet in Coelis. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Non jussit Dominus, ut thesaurum perderemus; sed locum ostendit, quo poneremus. Est autem magna vis facienda, quomodo locetur thesaurus, quia eodem locatur et animus; ideo subjungitur. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. Si in terra est, cor deorsum est; si in Coelestibus, in Christo fixum est. Necesse est enim, ut quo praecesserit dilectionis thesaurus, illud et cogitationis sequatur affectus. Thesaurus iste visibilis, et terrestris consistit in pecunia, sed thesaurus invisibilis consistit in Sapientia: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. Et nota, quod iste, qui consistit in

sapientia, incipita timore reverentiae: Divitiae salutis Sapientia, et Scientia. Timor Domini ipse est thesaurus ejus. Proficit autem in studio disciplinae: Omnis Scriba doctus in regno Coelorum. Conservatur in sanctitate conscientia. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Consumatur autem in sublimitate Gloriae: Vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in Coelo. Et de talibus loquitur hic; unde de pauperibus promittit viaticum refectionis, regnum excellentiae, et thesaurum abundantiae: quia pauperes consueverunt esse afflicti, et despecti, et egeni pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

Te Deum laudamus.

DIE XIX. APRILIS.

In Festo B. Conradi Milani ab Asculo Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Conradum dolorum Jesu Christi Filii tui jugi meditatione mirabilem effecisti; ejus nobis intercessione concede, ut crucis mortificationem in corde nostro portare, et vitam consequi mereamur aeternam. Per eumdem.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

COnradus Asculi in Piceno nobilibus parentibus Francisco Miliano, et Agnete Saladinia natus; qua futurus esset vitae Sanctitate, matri statim innotuit, quae illum jejunii tempore non nisi semel in die lac sugentem experta est. Is pietatem cum aetate augens, prophetiae etiam dono adolescens illustratus apparuit; nam ad pedes pueri Hieronymi, qui postea Minorum Familiam universam, tum Catholicam Christi Ecclesiam, Nicolai IV. sumpto nomine gubernavit, sese prosternere in more habuit. Minorum Institutum in Patria professus; ac Perusii doctor renunciatus, Romae primum in verbi Dei praedicatione plurimum adlaboravit, deinde in Africam profectus, variisque Lybiae Regionibus peragratis, mansuetudine, virtutum nitore, miraculisque efferas illas gentes lenivit, ac plura hominum millia Christo lucratus est. ℟. Honestum.

Lectio v.

ROmam rediens nudipes, laboribusque attritus magnam sui admirationem injecit Hieronymo tunc Minorum Praesidi, qui paulo post commigraturus Parisios jussu Nicolai III. Pont. Maximi ad componenda inter Francorum, et Castellae Reges exorta dissidia, Conradum sibi comitem adjungi postulavit, votique compos factus est. Re bene gesta, Conradus iterum in urbem cum Hieronymo reversus, post biennium in verbi Dei praedicatione transactum, Parisios ad Theologicas

disciplinas publice explicandas rursus migrare jussus est. Quo munere dum summo plausu fungebatur, frequentes etiam ad populum habere conciones, nosocomia, et xenodochia cum ingenti animarum fructu visitare non destitit. Asperrimo praeterea vitae genere usus, virtutibus omnibus, ac Evangelicae perfectioni vocabat. In Christum patientiam tanto ferebatur amore, ut ejus dolorum particeps fieri quandoque meruerit: Augustissimum vero Trinitatis Mysterium ea recolebat fide, ut in ejus nomine Daemones ejecerit, ac orbos depulerit. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

A Nicolao IV. ad Petri Cathedram recens evecto Romam revocatus, ut in Sacrum Cardinalium Collegium cooptaretur, ubi Asculum pervenit, gravi morbo correptus, atque Ecclesiae Sacramentis munitus, die, qua praedixerat, decimo tertio Kalendas Majas, anni millesimi ducentesimi nonagesimi noni, aetatis suae quinquagesimo quinto, humi, ut petierat, decumbens, spiritum Deo reddidit. Corpus ejus flexibile et bene olens, triduo inhumatum, deinde Nicolai Pontificis jussu honorifice tumulatum post annos octoginta duos ad novam Ecclesiam S. Francisci translatum est, ubi miraculis, et perpetua Populi veneratione adhuc claret. Quibus permotus Pius Sextus Pontifex Maximus Officium, ac Missam in ejus honorem cum Lectionibus propriis recitari permisit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. de comm. 2. loc.

DIE XXIII. APRILIS.

In festo Beati Ægidii Asisiensis conf. tertii socii S. P. Francisci. Duplex minus. Omnia de Comm. Conf. non Pont. praet. seq.

In Hymn. Iste Conf. *dic.* Meruit supr.

Oratio.

DEus, qui Beatum Ægidium Confessorem tuum ad excelsæ contemplationis verticem sublimare dignatus es: ipsius intercessione concede; ut actionibus nostris in te semper intenti, pacem, quæ exsuperat omnem sensum, consequamur. Per Dominum.

In primo nocturno. Lect. de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ÆGidius Asisii in Umbria piis, honestisque parentibus natus, quum audisset Beatum Franciscum, rebus omnibus abdicatis, se totum Christo dedisse, et duos, ex Asisinatibus ei associatos fuisse, eodem spiritu actus suppliciter petiit, ut inter ejus discipulos cooptaretur; et statim non sine maximo animi gaudio voti compos est factus. In æmulandis parentis sanctissimi virtutibus totus fuit, et exultavit ut gigas ad currendam seraphicæ perfectionis semitam. Præcipuo studio humilitatem coluit, qua permotus vilissima semper, et laboriosa ministeria obire in deliciis habuit adeo, ut hospitio a viris conspicuis exceptus de fructu manuum suarum etiam sibi

victum procurare firmiter voluerit, erogans in pauperes quidquid sibi supererat. Paupertatem, ad tanti patris exemplum se conformans, sibi sponsam elegit, et ideo cum eodem vere dicere poterat: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

ITaliam, Hispaniasque suis itineribus perlustravit, toleravitque undique, propter habitus squalorem, et vitae asperitatem, probra et irrisiones, quibus fuit appetitus. Suis monitis, et exhortationibus assidue operam dedit, ut peccatores ex vitiorum cœno revocaret ad virtutis tramitem, omniumque animos inflammaret ad mundi contemptum, et Jesu Christi amorem. Etsi rudis et idiota, de summis rebus sententias cœlesti sapientia refertas protulit. Seraphicus Pater eum tamquam fortissimum athletam elegit ad duriora, et difficiliora certamina; nec ullis territus difficultatibus ejus voluntati obsequentissimum constanter se præbuit. Altissimæ contemplationis munera a Deo insignitus, cœlestem potius, quam terrestrem vitam agere videbatur, extasibus, et raptibus frequentibus celeberrimus. Martyrii desiderio incensus in Africam se transtulit; Tunetumque appulsus, Deo ita disponente a barbaris ejectus in Italiam se recepit. Hierosolymitanam peregrinationem aggressus est, ut loca Christi sanguine consecrata inviseret, et ut dominicæ passionis mysteria propius meditaretur.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Ejus fama sanctitatis longe lateque percrebuit adeo, ut viros etiam principes in sui admirationem adduxerit, quos suis consiliis rogatus sæpe sæpius adjuvit. Ipsemet Gregorius nonus, qui ejus concionibus in eremo Perusiæ interesse voluit, in administrandis christianae reipublicae negotiis consiliarium adhibuit. Sanctissimi Francorum regis Ludovici noni fuit ibidem visitatione honestatus. Ad quale sanctitatis fastigium pervenerit Ægidius, ex hoc liquido patet, quod seraphicus doctor Bonaventura Deo gratias ageret, quod ea in tempora inciderit, in quibus Beatum alloqui, et cum eo conversari potuerit, Perusini cives nihil Ægidio æstimabilius arbitrantes, cum finem ejus vitæ instare pernoscerent, ne mortales exuviæ finitimorum populorum devotione subriperentur, positis circa eremum excubiis sedulo curarunt. Servi sui sanctitatem in vita, et post mortem miraculis Deus testatam voluit. Ejus Corpus in urbanum cœnobium ingenti pompa, et totius Perusinæ urbis lætitia translatum, in eleganti sarcophago, sicut ipse prædixerat, conditum fuit. Ejus cultum tum immemorabilem Pius Sextus ratum habuit, et missam cum officio sub ritu duplici ab universo Minorum ordine, et clero Perusino celebrari indulsit.

℟. Iste homo perfecit.

In tertio Nocturno, Homilia in Evang. Nolite timere, *de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.*

DIE XXVII. APRILIS.

In festo B. Jacobi de Bitecto Conf. 1. *Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*

Oratio.

PRaesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Beati Jacobi Confessoris tui merita praeclara recolimus: ejus virtutes aemulemur in terris, et gloriae coronam cum ipso consequamur in coelis. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr. In* 2. *et* 3. *Noct. Lect. de eod. comm.* 2. *loc.*

DIE XXVIII. APRILIS.

In festo B. Luchesii, sive Lucii Conf. 3. *Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*

Oratio.

DIves in misericordia Deus, qui Beatum Luchesium, ad poenitentiam evocatum, pietatis et misericordiae meritis clarere voluisti; da nobis ejus intercessione, et exemplo dignos facere poenitentiae fructus, et indulgentiam tuam pietatis et charitatis operibus promereri. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct.* Beatus vir, *de comm. Conf. non Pont.* 2. *loc.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUchesius, qui et Lucii nomine nuncupatur, in Hetruria natus, prope Castrum Bonitium, se totum negotiationi dedit, in qua terrenis lucris intentus, diu versatus est. Sed divinae gratiae lumine perfusus, simul ac vidit, eum beatum esse, qui post aurum non abiit, nec sperat in pecunia, et thesauris; omnia, quae possidebat, vendidit, ac pauperibus erogavit, uno agello contentus, ex quo manibus ipse suis sibi victum compararet. Nec ita multo post Tertii Ordinis Poenitentium, a S. Francisco instituti, primus omnium habitum sumpsit.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

EXinde, vetere homine expoliato, virtutes colere impensius coepit; praesertim vero ardenti in Deum charitate, mansuetudine, patientia, animi demissione enituit. Adeo vehemens ejus erat orandi studium, ut saepe, dum preces ad Deum funderet extra se rapi videretur. Tanta vero fuit erga inopes, et aegrotos sollicitudine, ut eos in agris, in viis, in nosocomiis, ope semper juvaret, et salutaribus monitis sibi demereret. Quibus sanctis operibus durissimametiam vivendi rationem adjunxit; carnem enim suam laboribus, jejuniis, et flagellis castigare, et in servitutem redigere non destitit.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

TAndem qui tali, ac tanta sanctitate floruerat, pretiosa morte occubuit, et in osculo Domini, adstantibus multis Religiosis, ex hac vita decessit. Plura ejus mortem miracula consecuta sunt; quorum fama perspecta, Gregorius Decimus cum proficiscens ad Concilium Lugdunense, per Castrum Bonitium transiret, jussit, ut Caput ipsius in supplicationum morem circumferretur, in cujus facti memoriam quotannis solemnitas celebratur. Hujus ergo beati Viri cultu, qui tanta pollet antiquitate, motus Pius Papa Sextus, has Lectiones proprias in honorem ejusdem recitari posse concessit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Lec. Hom. in Evang. Nolite timere, *de eod. comm. Pro Sancto Vitale Lect. ix. ut in Brev. hac ipsa die.*

DOMINICA V. POST PASCHA.

Festum Dedicationis Basilicae Assisiensis S. P. N. Francisci dupl. maj. Omnia de comm. Dedicationis Ecclesiae ex concess. SS. D. N. Pii Papae VI. *die* XXII. *Decembr.* 1784.

FESTA MAJI.

DOMINICA I. MAJI.

Vel si haec fuerit Dom. in Albis, Dom. II. Maji. Pro Civit. et Dioec. Neapolitana.

Festum Translat. S. Januarii Ep. et Mart. Princ. Patr. Civit. et Regni Neap. dupl. maj. (sine Oct. apud nos)

Omnia de comm. unius Mart. tempore Paschali, exceptis his, quae sequuntur.

In 1. Vesperis. Ad Magnificat.

Antiph. Beatus Januarius, Praesul, et Martyr inclytus, extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit. Alleluja.

Oratio.

DEus, qui in Translatione Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis, pretioso nos praesidii tui pignore locupletasti: quaesumus, ut ipso intercedente, populum tuum ab omnibus periculis eruas, ac de thesauris tuis divitias in nos ineffabilis misericordiae benignus effundas. Per Dominum.

Deinde fit comm. Dominicae occurrentis.

Ad Matutinum.

Lectiones 1. Noct. A Mileto, *de comm. unius Mart. Pont. extra temp. Pasch.* ℞℞. *vero temp. Pasch.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

QUo tempore Beatus Pontifex Januarius pro Christi confessione Puteolis capite plexus est, venerabilis ejus Cruor, quem pro Christianae Fidei veritate constantissime fuderat, pie collectus, atque in duabus vitreis ampullis reconditus est. Postea vero, pace Ecclesiae reddita, Sanctus Severus, aedificata jam prope Neapolim Sancti Januarii Basilica, sacratissimum Martyris Corpus cum magna Neapolitani Cleri, populique frequentia, iis etiam, qui de genere Beati Januarii erant, comitantibus, Neapolim religiosissime transtulit, et Corpus quidem in ejus Basilica condidit. Cruoris vero ampullae, ad hanc usque diem seorsum servatae, illustre miraculum spectantibus exhibent. Nam cum e regione desecti pro Christo capitis ponuntur, Cruor admirandum in modum colliquefieri, perinde atque recens effusus, ad haec usque tempora cernitur. ℟. Lux perpetua.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.
Tom. 6. Orat. de Mart.

Lectio v.

SÆpenumero, charissimi, sub auroram Solem exorientem vidistis, et quasi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora; dum veluti crocei quidam radii, rivi sanguinis undique ex illis defluerent, eorumque corpora multo

quam coelum Sol ipse, splendidus illustrarent. Hunc sanguinem Angeli contuentes oblectabantur, daemones horrebant, et ipse diabolus tremebat. Non enim sanguis erat simpliciter, quod cernebatur: sed sanguis salutaris, sanguis sanctus, sanguis coelo dignus, sanguis, qui pulchras Ecclesiae arbores perenni irrigatione foecundat. ℟. In servis suis.

Lectio vi.

Vidit hunc sanguinem, horruitque diabolus, recordatus est quippe alterius Sanguinis Dominici. Propter illum sanguinem hic effluxit. Ex quo enim Domini latus apertum est, sexcenta deinde latera effossa contueris. Quis enim non summa cum alacritate gaudiorum, sese ad agones istos ineundos, Dominicis passionibus communicaturus, et Christi morti conformis futurus accinget? Est enim sufficiens haec retributio, et amplior merces, et quod certamina excedit praemium; vel illud etiam, quod ante ingressum in coelorum regnum consequimur.

℟. Filiae Jerusalem.

In 3. Nocturno, ut in festo S. Barnabae Apost. XI. Junii ut in Breviario.

Ad Benedictus.

Antiph. Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea. Alleluja.

In 2. Vesperis. Ad Magnificat.

Antiph. Liberasti me, Domine, a rugientibus praeparatis ad escam, et a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus. Alleluja.

DIE XIII. MAJI.

In festo S. Petri Regalati Conf. 1. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymno. Meruit supremos.

In utrisque Vesperis et Laud. dicitur.

℣. Ora pro nobis, Beate Petre, alleluja.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluja.

Oratio.

DEus, qui dilectum famulum tuum Petrum, carne mortificatum, ad delicias gloriae tuae assumere dignatus es: concede propitius; ut ad delectationes, quae in dextera tua sunt usque in finem, meritis ejus, et intercessione pervenire valeamus. Per Dominum.

In 1. Nocturno, Lect. Beatus vir, *ut in comm. Conf. non Pont. 2. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus, cognomento Regalatus, Vallisoleti in Hispania nobilibus aeque, ac piis parentibus ortus, ab ipsa pueritia non levia dedit futurae sanctitatis indicia. In illa namque aetate nihil

puerile sapiens, coaequalium abstinebat consortio, et in solitariis latitando recessibus, uni vacabat rerum coelestium contemplationi, jam tum a Deo in benedictionibus dulcedinis praeventus. Flagellis, jejuniis, aliisque poenarum generibus se jugiter macerans, carnem intra subjectionem spiritus continebat; virginitatis, quam ad mortem usque servavit, sollicitus cultor. His itaque exercitiis ad strictiorem vivendi formam se comparans, ea brevi jecit fundamenta, quae in heroica virtutum mox consurrexere fastigia. Minorum Regulam primum in patria professus est, deinde in Aquileriano Coenobio restitutae Observantiae praecipuus adjutor, et promotor fuit. Cujus tam rigidi Instituti primordia avide amplexus, firmiter tenuit, et plene consumavit. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

Silentium illi perpetuum, somnus brevissimus, juges ex dono lacrymae, quibus praecipue in sacro conficiendo Mysterio perfundebatur, flagellationes cruentae, incessus nudis pedibus, vestis tunica una lacera, et hispida, lectus vel palea, vel humus; jejunium multoties juxta sui institutoris exemplum, ad novem Quadragesimas usque protractum, cibusque ut plurimum, panis et aqua. Evangelicae paupertatis mirificus propugnator, et custos, ob cujus exquisitam observantiam, in graves etiam, et frequentes offendit injurias; quas immoto, alacrique animo subiens; divinam pro calumniantibus, et oppugnatoribus exorabat clementiam. Quanto in Deum exardesceret amore, ex eo potissimum apparuit, quod

si aliquos invenisset leprosos, domum adduceret, eorumque ulcera lingua etiam detergeret. Fratrum regimen subire coactus, omnibus numeris explevit officium, et quos privato jampridem informarat, publico deinde confirmabat exemplo.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

ASperrimum vitae genus Aquileriae incoeptum, in Conventu de Scala Coeli, ad Durii ripam prope Vallisoletum fundato, firmiter stabilivit, unde ad diversas Hispaniae, Indiarumque Provincias extensum. Annum denique agens sexagesimum sextum, austeritate vitae confectus, et mortem sibi vicinam praesentiens, Aquileriam perrexit, ut ibi Deo spiritum redderet, ubi rigorosi instituti sumpsit exordium. Febre correptus, alumnis ad exactam Regulae observantiam cohortatis, suaque benedictione munitis, ad illa verba: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; migravit in coelum, pridie Kalendas Aprilis, anno reparatae salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Cujus viri sanctitatis fama, quae ubique jam percrebuerat, Regina Catholica Elisabeth permota, solemni indicta processione, et adstantibus nonnullis Episcopis, et Clero, ejus Corpus, quod in communi Fratrum repositum fuerat sepultura, in decentiori, et nobiliori tumulo reponendum curavit: quare ex confluentium multitudine, multis inde obtentis beneficiis recedentium servi Dei cultus mirifice propagatus est. Quo solemniter a

Sacra Rituum Congregatione approbato, Innocentius Papa Undecimus de ipso Missam, et Officium die decimatertia Maji celebrari concessit, eumque tandem Benedictus XIV. solemni ritu Sanctorum Catalogo adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi, *ut in comm. Conf. non Pont.*

In 2. Vesp. fit comm. seq. et S. Bonifacii Mart.

DIE XIV. MAJI.

In festo B. Francisci a Fabriano Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

PRaesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut Beatus Franciscus verbi tui praeco ita fecit, et docuit, ut magnus esse meruerit in regno coelorum: nos quoque ejus precibus, et imitatione, tibi jugiter verbis, et operibus placere studeamus. Per Dominum.

Deinde fit comm. S. Bonifacii mart. ut in Brev.

Ad Matut. In Hymn. Meruit supremos.

Lect. 1. Noct. de Script. occurr.

In 2. et 3. Noct. Lect. de comm. Conf. non Pont. 1. loco. Pro S. Bonifacio mart. Lect. ix. ut in Brev. hac ipsa die.

DIE XV. MAJI.

In festo B. Benvenuti Mareni de Recineto Conf. 1. Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Lect. 1. Noct. de Script. 2. prop. 3. de 2. loc.

Oratio.

LArgire, misericors Deus, ut dum Beati Benvenuti memoriam colimus, humilitatis, et devotionis ejus vestigia sectemur in terris, ac tecum beatam mansionem, ejusdem intercessione teneamus in Coelis. Per Dominum.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

BEnvenutus Recineti in Piceno decimotertio Christiani nominis saeculo ortus est. In paterna domo a teneris annis pie educatus, tali, tantoque amore in Jesum Christum exarsit, ut saeculi illecebras, ac voluptates pessumdare decreverit. Quare, ut in suscepto perfectionis tramite graderetur magis magisque in dies proficeret, inter Fratres Laicos Franciscanae Familiae in eadem Civitate adscitus fuit. Ibi sub Seraphica vivendi norma Deo sacratus, in omni semper virtutum genere se exercuit. Humilitate praecellens, viliora quaeque domus ac laboriosiora munia praetulit. Devotione excellentior, tempus, quod ab exequendo ministerio supererat, in Ecclesia ferventissimo, quo flagrabat in Christum affectu orans, laetus insumebat.

℟. Honestum.

Lectio v.

CUm Fratribus reficiendis cibaria ipse pararet, quodam mane diluculo Ecclesiam perrexit oraturus eo consilio, ut pro more muneri suo extemplo se redderet: sed jam imminebat refectionis hora, quin coelestis contemplationis dulcedine absorptus obeundo ministerio se restitueret. Sensibus deinde redditus, augustiis premitur, Fratres existimans propria culpa necessaria refectione privandos. Verum vix culinam repetiit, cum ab Angelo pulcherrimi Juvenis formam praeseferente salutatur, a quo cuncta cibandis Fratribus parata didicit, ipsis jucundiora se numquam degustasse testantibus. Ferventior inde factus, dum sacris, intererat, ac Eucharistico cibo, quem avide semper exoptabat, crebro reficeretur, non sibi, sed Christo, in quem transformari cupiebat, vivere videbatur.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

IN extasim persaepe raptus, eo processit ascensione fervida in Deum, ut brachiis Christum Jesum complecti meruerit. Tot charismatibus a Deo cumulatus, vix dici potest quantum in religiosa perfectione profecerit ad obitum usque pretiosum, qui inibi tertio nonas Maji contigit, nostrae Redemptionis anno millesimo ducentesimo octogesimo nono. In eximiae sanctitatis argumento signis claruit, atque miraculis. Pretiosissima ejus spolia civium, ac finitimorum affluente caetu summa veneratione incessanter excepta sunt. His

permotus Pius Sextus Pontifex Maximus, praefatum cultum ratum habuit, ac Missam, et Officium in honorem Beati Benvenuti recitari indulsit. ℟. Iste homo.

DIE XVI. MAJI.

Pro Civitate tantum Neapolis.

In festo S. Joannis Nepomuceni Mart. dupl. maj. Omnia de comm. unius Mart.

Si non est expletum tempus Paschale, fit Officium de comm. Mart. temp. Pasch. praeter Orat. et Lect. quae sequuntur.

Oratio.

DEus, qui ob invictum Beati Joannis Sacramentale silentium, nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti: da nobis ejus intercessione et exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animae detrimentum, in hoc saeculo tolerare. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect.* Fratres, debitores, *de comm. plurim. Mart.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOannes Nepomuci Bohemiae Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, a parentibus aetate provectis, non sine futurae sanctitatis praesagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, Beatae Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, e vi-

tae periculo evasit incolumis. Egregia indole, piaque institutione coelestibus indiciis obsequente, inter sanctas religiosasque exercitationes pueritiam egit; nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad Aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus; Pragae vero gravioribus disciplinis excultus, Philosophiae, Theologiae, Sacrorumque Canonum magisterium, et lauream emeruit. Sacerdotio initiatus, atque a scientia Sanctorum ad lucra animarum rite comparatus, ministerio verbi Dei se penitus addixit. Cum igitur in vitiis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus, eloquentia, et pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao Quarto praedicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei Servus, ne a Divini verbi praeconio avocaretur, constantissime recusavit.

℟. Honestum. *vel* ℟. Lux perpetua.

Lectio v.

Regis illum eleemosynis in pauperes erogandis praefectum, Joanna Regina conscientiae sibi moderatorem adscivit. Cum autem Wenceslaus ab officio, institutoque decessisset, atque in vitia praeceps abriperetur, piae autem conjugis obtestationes, et monita gravate ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali judicio Sacerdoti

credita Reginae arcana sibi a Joanne panderentur. At Dei Minister, blanditiis primum, tormentis deinde, et carceris squalore tentatus, nefariae Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animum cum ab execrando proposito nec humana, nec divina jura deterrerent: supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscure praenuntiavit. Mox Boleslaviam profectus, ad Beatae Virginis imaginem antiquo cultu celebrem, coeleste praesidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Inde vesperi revertentem in pervigilio Dominicae Ascensionis, Rex e fenestra conspicatus arcessit: cumque vehementius urgeret, et proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantia terrores, minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens, noctu dejectus; illustrem martyrii coronam est consequutus.

℟. Desiderium. *vel* ℟. In servis.

Lectio vi.

SAcrilegum facinus clam patratum, et Martyris gloriam insigne prodigium divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi coepit, ardentes faces aquis supernatantes, et discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie mane Corpus elatum, Canonici deinde, Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemni pompa intulerunt, et sepulturae mandarunt. Cum autem in dies invicti Sacerdotis memoria miraculis,

et maxima fidelium, eorum praecipue, qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum amplius tercentos, in juridica recognitione Corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta, et vivida reperta est; quae sexto post anno Judicibus a Sede Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque, aliisque signis rite probatis, Benedictus Decimus tertius Pontifex Maximus, die decimanona mensis Martii, anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono, primum hunc Sacramentalis Sigilli Assertorem, Arcani fidem sanguine obsignantem, Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit.

℟. Stola iucunditatis. *vel* ℟. Filiae Jerusalem.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Nihil est opertum, *ut in festo S. Polycarpi Ep. et Mart. di XXVI. Januar.*

DIE XVIII. MAJI.

In festo S. Felicis a Cantalicio Conf. Ord. Min. Capuc. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae hic propria ponuntur. In Hymn. mutat. 3. versus.

Oratio.

FAc nos, Domine Jesu, in simplicitate, et innocentia cordis nostri ambulare: quarum amore de sinu Matris inter Beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti. Qui vivis, et regnas.

In primo Nocturno. Lect. Beatus vir, *de comm. 2. loco.*

In secundo Nocturno

Lectio iv.

FElix a Cantalicio in Sabinis humilibus, sed piis parentibus natus, a puero pascendis gregibus, mox et agro colendo addictus, multo impensius rerum coelestium meditatione animum nutrire, et corpus assiduis vigiliis, ac jejuniis domare coepit; eremiticam agens vitam potius, quam rusticam. Ferventiore autem in Deum pietate incensus, cum non posset quotidie, ut optabat, sacris Mysteriis interesse, grege ad loca solitaria compulso, ipse ante Crucem arborum corticibus incisam diu orare, seque acriter flagellare consueverat; sed et aliquando glebas in agro vertere, simulque sacris in Templo adesse visus est. Alias inter arandum furentibus, quos junxerat, indomitis Juvencis, humi stratus, et aratro superducto plane proscindendus, lacerata dumtaxat veste, surrexit illaesus. Quo periculo, ut ad tutiorem regularis disciplinae palaestram vocanti jampridem Deo pareret, admonitus, rustica supellectili pauperibus distribui jussa, ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, propere se contulit. ℟. Honestum.

Lectio v.

ADhuc tyro, necdum vota solemnia professus, religiosae perfectionis apicem jam attigisse videbatur. Obedientiae sedulus cultor, ad praecipientis non modo verbum, sed etiam nutum praesto erat; seque Coenobii jumentum dictitans, vilissima quaeque ministeria semper arripuit, ac ludibria, et contumelias hilari vultu excipiebat. Paupertatis

quam esset studiosus, illustri documento Deus ipse declaravit. Ostiatim enim per vicos, et plateas alendis Fratribus mendicans (quod ille munus per annos quadraginta nudis fere semper pedibus obivit) cum die quadam inusitato pondere se opprimi sentiret: manticam scrutatus, injectum clam nummum deprehendit: quo projecto, nec sine indignatione proculcato, alacer, et levis inde abiit. Castitatem, quam usque ad obitum servavit illibatam sanctus corpore, et spiritu a Paulo Quinto propterea appellatus, vigili oculorum custodia, et voluntario corporis cruciatu communivit; asperrimo flagello se quotidie cruentans, ac ferreo cilicio constrictus, septem etiam Urbis Basilicas identidem invisens. Jejunia Ordinis, inedia quandoque cumulavit. Lectus ejus doloris potius, quam quietis erat: brevem quippe somnum, flexis nuda super tabula, genibus, ac fasce sarmentorum capiti supposito, carpebat.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Vitae austeritate sibi asper; aliis charus, acceptusque, sanctis praesertim Carolo, et Philippo Nerio, simplicitate, atque innocentia semper fuit. In oratione pernoctans, dulcissimam frequenter extasim est passus, et aliquando in ulnis suis reclinatum a Virgine Matre Puerum Jesum suavissime complecti meruit. Prophetiae gratia, et miraculorum clarus, demortuum etiam filium Matri vivum restituit. Meritis tandem in bona senectute cumulatus; secunda (ut praedixerat) Feria Pentecostes ad coelestem Patriam, Deipara invitante,

laetus abiit. Ejus Corpus in Ecclesia sui Ordinis, summa Urbis veneratione colitur, Domino crebris miraculis servi sui sanctitatem illustrante, quem propterea Urbanus Papa Octavus Beatorum, Clemens vero Undecimus Sanctorum fastis adscripsit.
℟. Iste homo.
In 3. Noct. Lect. vii. ut in Breviario xxi. *hujus.*

DIE XX. MAJI.

In festo S. *Bernardini Senensis Conf.* 1. *Ord. dupl.* 2. *class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*
In utrisque Vesperis, et Laudibus dicitur.
℣. Ora pro nobis, Beate Bernardine.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In 1. *Vesperis. Ad Magnificat.*

Antiph. Dedit illi virtutem super omnia daemonia: et misit illum praedicare regnum Dei, et sanare infirmos.

Oratio.

DOmine Jesu, qui Beato Bernardino Confessori tuo eximium sancti Nominis tui amorem tribuisti: ejus, quaesumus meritis, et intercessione, Spiritum nobis tuae dilectionis benignus infunde. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.
In 1. *Noct. Lect. de Actibus Apostolorum.* Petrus autem et Joannes, *ut in festo SS. Nominis Jesu* xiv. *Januar.* ℟℟. *vero, de comm. Conf. non Pont.*
In 2. *et* 3. *Noct. Lect. ut in Brev., sed in* 2. Bernardinus Albizesca, *ut ibi.*

Ad Benedictus.

Antiph. Loquebatur, et annuntiabat Dominum Jesum, et erat manus Domini cum eo.

In 2. Vesperis Ad Magnificat.

Antiph. Manum tuam, Domine, orante servo tuo extendebat ad sanitates, et signa, et prodigia fieri per Nomen Sancti Filii tui Jesu.

Oratio ut supra. Et fit comm. seq.

DIE XXII. MAJI.

In festo B. Humilianae Viduae 3. Ord. dupl. min. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, dulcedo cordium, et praemium Beatorum, qui Beatam Humilianam tuo amore succensam, suavissima contemplationis dulcedine replevisti: concede propitius; ut ejus meritis, et imitatione tibi jugiter adhaerentes, tuae celsitudinis speciem contemplari perpetuo mereamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HUmiliana, ex vetustissima Cerchiorum Familia Florentiae nata, ab ineunte aetate se totam Deo mancipavit; cum sexdecim esset annorum parentum voluntati obtemperans, nupsit ejusdem Patriae

Civi, nobilitatem quidem pari, indole vero, ac moribus longe impari; a quo annos quinque, quibus ipsi copulata fuit, durius habita, insigna per id tempus exempla dedit, cum propriae mansuetudinis, tum charitatis erga Virum; cui in extremis laboranti, multoque nummi foenore praegravato, ut illata damna reficeret, dotem suam heroica liberalitate dicitur obtulisse. Conjuge vita functo, paternam domum rediit, ibique secundis nuptiis constantissime recusatis, vetustam, despectamque turrim elegit, in qua reliquum vitae suae tempus transigeret: atque ut arctius Coelesti Sponso jungeretur, a Fratribus Minoribus spiritualis ejus vitae ducibus ac Magistris, habitum Tertii Ordinis Beati Francisci omnium prima Florentiae, in Ecclesia Sanctae Crucis petiit humiliter, et obtinuit. ℟. Propter.

Lectio v.

EO in loco, atque habitu mirum quantum virtute profecerit; patientia fuit admirabili, bonis enim omnibus per summam injuriam spoliata, a Patre, et Consaguineis contumeliis affecta, a famula gravi vulnere in fronte sauciata, a Deo etiam diutinis infirmitatibus, veluti aurum in igne, probata: omnia aspera, non modo summa oris, et animi lenitate, verum etiam cum gratiarum actione perferre consuevit. Misericordia quoque in pauperes singulari, quos ut pasceret, atque indueret, cibos non semel, vestesque sibi ipsi detraxit: neque erubuit nobilis Matrona pro Sacris Virginibus victum emendicare. Tanto autem in Deum fervebat amore, ut ob ejus gloriam, vel sanguinem

fundere, vel igne absumi, vel alio quovis poenarum genere excruciari vehementer optaret; quod ardens quidem, sed irritum martyrii desiderium assiduis, gravibusque sui Corporis castigationibus explevit. Altissimae contemplationis suavitate divinitus superfusa, quam frequentissime in extasim rapiebatur, nec raro meruit Beatorum Spirituum, atque ipsius Christi Domini tum praesentia, tum colloquio, tum etiam supernis revelationibus, et favoribus recreari. ℟. Dilexisti.

Lectio vi.

DEiparam Virginem, Coelitesque omnes impense coluit. Dono lacrymarum, et prophetico spiritu insignita, miraculis etiam claruit, nam et plures infirmi, ipsa orante, convaluere, et aqua modo in vinum, modo in oleum conversa est. Morbum, quo Ægrotus quidam gravissime afflictabatur, in proprium Corpus transferri, fusis ad Deum precibus, impetravit. Filiam, quam pie educaverat, subita morte extinctam, vitae restituit. Ejus cellula Coelestis splendore saepe visa est collucere. Frequentes daemonum fraudes, insidias, et vexationes solo Crucis signo munita, superavit. Jejuniis denique, vigiliis, ac lethali morbo confecta, quartodecimo Kalendas Junii, anno reparatae salutis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, aetatis suae septimo supra vigesimum, placidissime animam Deo reddidit: ejusque Corpus Florentiae in Ecclesia Sanctae Crucis Ordinis Minorum honorifice sepultum, et percrebrescente statim miraculorum fama, tertio post mense honorificentius elatum, non intermissa fidelium veneratione, approbante

Innocentio Duodecimo ad haec usque tempora colitur. ℟. Fallax.

In 3. Noct. Lect. de eod. comm.

DIE XXIV. MAJI.

In festo B. Joannis de Prado Mart. 1. Ord. dupl. maj. ut in Breviar. xxx. hujus.

DIE XXV. MAJI.

Translatio S. P. N. Francisci dupl. maj. Officium fit ut in die Natalis ejusdem IV. Octobris infra in hoc Libello, praeter sequentia.

Hymni semper terminandi erunt, ut ibi, etiam tempore Paschali, et infra Oct. Ascensionis.

Oratio.

DEus, qui Beati Patris Nostri Francisci Corpus passionis Filii tui signaculis decorasti, et Animam in coelis mirabiliter sublimasti: concede propitius, ut qui ejusdem Translationem celebramus, carnem nostram cum vitiis crucifigere, et ad coelestem patriam pervenire valeamus. Per eumdem Dominum.

Pro comm. B. Joannis, et S. Urbani Pp. et Mart. ut in Breviar.

In secundo Nocturno.

Ex Commentariis S. Bonaventurae Episcopi.

Post hunc titulum immediate legitur: Beato Francisco, *ut in Breviar. die XXV. Maji.*

DIE XXIX. MAJI.

In Civitate tantum Neapolis.

In festo S. Ubaldi Ep. et Conf. semid. ut in Breviar. XXVI. hujus.

DIE XXX. MAJI.

In festo S. Ferdinandi Tertii Castellae, et Legionis Regis Conf. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui Beato Confessori tuo Ferdinando praeliari praelia tua, et Fidei inimicos superare dedisti: concede; ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis, et corporis liberemur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ferdinandus Tertius, Castellae, et Legionis Rex, cui Sancti cognomentum, jam inde a quatuor saeculis Ecclesiasticorum, et Saecularium consensus dedere, tantum prudentiae adolescens adhuc specimen praebuit, ut Berengaria mater, Castellae Regina, a qua persancte educatus fuerat, abdicatum a se regnum in filium transtulerit. In eo, adjunctis regni curis, regiae virtutes emicuere, magnanimitas, clementia, justitia, et prae ceteris Catholicae Fidei zelus, ejusque religiosi cultus tuendi, ac propagandi ardens

studium. Id praestitit in primis haereticos insectando, quos nullibi regnorum suorum consistere passus, propriis ipse manibus ligna comburendis damnatis ad rogum advehebat. Praestitit insuper in erigendis, dotandis, et consecrandis Christiano ritu Cordubensi, Giennensi, Hispalensi, et aliarum urbium Ecclesiis, ex Maurico ereptarum jugo, simulque in instaurandis primariis templis Toletano, Burgensi, et aliis, pia, et regia munificentia.

℟. Honestum.

Lectio v.

INter haec, per Castellae, et Legionis Regnum, in quo patri Alphonso successerat, collectis magnis exercitibus, annuas expeditiones contra Saracenos, Christiani nominis hostes suscepit. In queis, ut semper vinceret, praecipui exercitus fuere preces piissimi Regis ad Deum fusae, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiaret, flagris in se saeviebat, atque aspero cilicio muniebat corpus: sicque insignes contra ingentes Maurorum acies victorias reportavit, et plures urbes Christiano cultui, Imperioque restituit: et conquisitis Giennii, Cordubae, et Murtiae Regnis, ac Granatensi vectigali facto, ad expugnandam Hispalim, primariam Boeticae urbem, hortante in visione (ut traditum est) beato Isidoro, olim illius urbis Episcopo, victricia signa transtulit. In ea obsidione (ut fertur) praesentem Divinam opem habuit; nam ferream catenam, quae super Boetim transversim extensa, Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori

vento, una ex navibus regiis, Regis jussu eo delata, tanto impetu fregit, ut longius praetervecta, pontem quoque ligneum, et simul spes Maurorum obruperit, et ad deditionem coegerit.
℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Tot victorias Beatae Virginis Mariae patrocinio ferebat acceptas, cujus Imaginem secum in castris habens peculiari cultu prosequebatur. Capta Hispali, prima Religionis cura fuit: nam templum Maurorum expiatum, et Christianorum dedicatum Sacris, insigni Archiepiscopatu, et honestissimo Canonicorum, et Dignitatum Collegio, Regia, et religiosa liberalitate exornavit: alia deinde in urbe Templa, at Coenobia erexit: inter quae pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, Mahometanum in ea imperium eversurus, ad coelestem regiam vocatur. In extremo vitae agone sacram Eucharistiam pro Viatico allatam, fune ad collum alligato, et humi stratus, cum lacrymis ubertim fusis adorans, eaque dignis reverentiae, humilitatis, et Catholicae Fidei obtestationibus accepta, obdormivit in Domino. Jacet ejus Corpus incorruptum adhuc post quatuor saecula, in Templo maximo Hispalensi, honorificentissimo inclusum sepulchro.
℟. Iste homo.

In 3. Noct. Hom. Venerabilis Bedae Presbyteri in Evang. Nolite timere, *de eod. comm. 2. loc.*

DIE XXXI. MAJI.

In festo B. Gherardi a Villamagna Conf. 3. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui per jugem Filii tui Passionis memoriam Beatum Gherardum Confessorem tuum altissimae contemplationis, et poenitentiae studio decorasti; da nobis famulis tuis ut ejus vestigia inhaerentes, redemptionis praemia consequi valeamus. Per eumdem.

Lectio iv.

Gherardus humili genere natus in Oppido Villaemagnae prope Florentiam duodecimo aerae Christianae vertente saeculo, Parentibus arvis excolendis addictis adhuc puer orbatus, Florentiae ab ipsis arvorum heris domo exceptus pie christianeque fuit educatus. Cum autem unus ex his Eques Hierosolymitanus navigaturus esset in Syriam adversus Infideles, egregia Gherardi indole, et virtutum ornatu captus voluit eum cui jam per aetatem licebat, socium sibi adsciscere. Sed cum praeliantes ambo in hostium manus misere devenissent, post ingentes aerumnas redempti fuere. Cum vero Eques, quo cum iter fecerat decessisset, Gherardus in perlustrandis Terrae Sanctae locis ad poenitentiae studium inflammatus in Etruriam rediit, et in suum tugurium apud Villamagnam sese recepit. Non multo post cum altero Ordinis Hierosolymitani Equite iterum Syriam petiit, et cum navim, qua ipse

una cum viginti Hierosolymariis Militibus vehebatur, ab immani pirata viribus multo majoribus oppugnari videret non aliter quam enixis ad Deum precibus ab imminenti illo discrimine sese sociosque liberavit. ℟. Honestum

Lectio v.

Hierosolymis aliquot annos moratus ob spectata ejus virtutum merita Equitum Hierosolymariorum Cruce donatus fuit, atque inter eos cooptatus quos Auxiliares seu Famulantes appellant. Ibidem singulari erga infirmos, et Peregrinos charitate et assiduae coelestis contemplationis studio maximam sibi sanctitatis famam adeptus est: ejus itaque declinandae causa ab Ordinis Praesidibus veniam petiit redeundi in Patriam. Italiam versus navigans saeva maris procella suis precibus sedata, et in Etruriam appulsus a Sancto Francisco Assisiensi Tertii Ordinis Minorum habitum devotissime accepit. Patriam deinde repetens domunculam extra Oppidum secessit ea mente, ut eremiticam vitam posthac duceret, ubi flagellationibus asperum, coelestium tamen conteplatione suave vitae genus instituit. Pane tantum et herbis utebatur ad victum, quibus raro legumina addebat, ac praeter Ordinis Minorum abstinentias, ter in hebdomada jejunabat. Charitate in Proximum ardens ut juvaret aegros, egenosque, stipem ipse quaeritabat omnesque ad eum confluentes, vel in rectam salutis viam revocare, vel ad perfectionem impellere omni ope, atque opera studebat. ℟. Amavit eum.

Lectio xi.

ORandi assiduitate callum genibus obduxisse post ejus obitum compertum est. Nam praeter diurnas precationes, Ecclesias valde inter se dissitas ter per hebdomadam noctu visitabat, vetustam praesertim in vertice Montis qui Incontrus appellatur, quem locum Beatus Leonardus a Portu Mauritio consulto ad sui Ordinis recessum instituendum selegit, quia eo frequentius Gherardus in coelestium rerum contemplatione sese recipere consueverat. Dono tandem prophetiae, scrutationis cordium, morborum sanationis, et miraculorum clarus, plenusque dierum anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, sui obitus die cuidam Monacho e Sacra Sancti Benedicti Familia, quo conscientiae moderatore utebatur praenunciato; et Ecclesiae Sacramentis rite devoteque munitus, mense Majo placide obdormivit in Domino. Statim ejus habitaculo ob miraculorum copiam in Ecclesiam ei dicatam constructo, ejusque Corpori in lapidea urna recondito, publicus, et Ecclesiasticus cultus exhiberi coepit, quem per annos fere sexcentos jugiter continuatum et auctum, Summus Pontifex Gregorius XVI. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio solemni Decreto ratum habuit, et confirmavit, benigneque indulsit ut ejus Festum tam a Clero Florentino et Fesulano, quam ab Ordine tum Hierosolymitano, tum Minorum Sancti Francisci Missa, Officioque proprio celebraretur. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Nolite timere, *de eod. comm. 2. loco.*

FERIA SEXTA.

Post. Octav. SS. Corporis Christi.
Officium SS. Cordis Jesu *dupl. maj.*
Romae et alibi, ubi concessum.

Ad Vesperas.

Omnia de die Octava SS. Corporis Christi, sine ulla commemoratione: sed si Officium SS. Cordis Jesu transferatur, vel celebretur sub ritu duplici 1. vel 2. classis, tunc in primis Vesp. omnia dicuntur ut infra in secundis, exceptis seq.

℣. Miserator, et misericors Dominus.
℟. Longanimis, et multum misericors.

Ad Magnificat.

Antiph. Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum. Alleluja.

Ad Matut. Invit. Cor Jesu charitatis victimam, ℟. Venite adoremus.

Hymnus.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis;
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes.
Jesu, qui, ut agnus innocens,
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite cor accedite.
Audite ut suavissimis
Invitet omnes vocibus?

Venite, quos gravat labor,
Premitque pondus criminum.
Quid Corde Jesu mitius!
Jesum Cruci qui affixerant
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impius.
O Cor, voluptas coelitum,
Cor fida spes mortalium,
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus supplices.
Tu nostra terge vulnera,
Ex te fluente sanguine;
Tu da novum cor omnibus,
Qui te gementes invocant. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalmus 21.

DEus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies:* et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum: * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea, Deus, animam meam: * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis, * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis : * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum : * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel : * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Neque avertit faciem suam a me : * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna : * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum : * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum* universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum : * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae : * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet : * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura : * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum, et refloruit caro mea.

Psalmus 27.

AD te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me: * ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.

Exaudi Domine vocem deprecationis meae, dum oro ad te: * dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: * et cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, * mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum: * et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: * redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus, * destrues illos, et non aedificabis eos.

Benedictus Dominus: * quoniam exaudivit vocem deprecationis meae.

Dominus adiutor meus, et protector meus: * in ipso speravit cor meum, et adjutus sum.

Et refloruit caro mea: * et ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suae: * et protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic haereditati tuae: * et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Speravit cor meum in Domino, et adjutus sum, et refloruit caro mea.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.

Psalmus 29.

EXaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino Sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi. Gloria Patri, etc.

Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, et circumdedisti me laetitia.
℣. Ego autem in Domino gaudebo.
℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.
De Epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio i. *Cap. 1.*

BEnedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati in conspectu ejus, in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus, propterea non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: ut Deus, Domini Nostri Jesu Christi Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae, et revelationis, in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, et quae divitiae gloriae hæreditatis ejus in Sanctis.

℟. Gratificavit nos Deus in dilecto Filio suo. * In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.

℣. Det nobis Dominus illuminatos oculos cordis nostri in agnitione ejus. In quo habemus.

Lectio ii. *Cap. 2.*

DEus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos; et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, in bonitate super nos, in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae, solvens inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore, Deo, per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem.

℟. Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ostendit abundantes divitias gratiae suae. * In bonitate super nos in Christo Jesu.

℣. Ipse enim est pax nostra; per quem habemus accessum ad Patrem. In bonitate.

Lectio iii. *Cap. 4.*

HUjus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis, et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per spiritum ejus in interiorem hominem; Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati, et fundati,

ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum; scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis, ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

℟. Det nobis Dominus virtute corroborari per spiritum ejus, in interiorem hominem. * Christum habitare per fidem in cordibus nostris.

℣. Ut in charitate radicati, et fundati comprehendamus supereminentem scientiae charitatem Christi. * Christum habitare.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Christum habitare.

In secundo Nocturno.

Antiph. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo.

Psalmus 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et laetentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini: * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.
Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.
Timete Dominum omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.
Divites eguerunt, et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
Venite filii; audite me: * timorem Domini docebo vos.
Quis est homo, qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?
Prohibe linguam tuam a malo, * et labia tua ne loquantur dolum.
Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.
Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.
Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.
Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.
Multae tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.
Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.
Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum, delinquent.
Redimet Dominus animas servorum suorum: *

et non delinquent omnes, qui sperant in eo.
Gloria Patri, etc.

Antiph. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Psalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea, calamus scribae: * velociter scribentis.

Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in aeternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum: * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua: * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittae tuae acutae, populi sub te cadent:* in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: * circumdata varietate.

Audi Filia, et vide, et inclina aurem tuam:* et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiae Tyri in muneribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximae ejus afferentur tibi.

Afferentur in laetitia, et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui: * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in aeternum: * et in saeculum saeculi.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

Antiph. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

Psalmus 71.

DEus judicium tuum Regi da; * et justitiam tuam filio regis.

Judicare pupulum tuum in justitia: * et pauperes tuos in judicio.

Suscipiant montes pacem populo: * et colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos faciet

filios pauperum ; * et humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum sole , et ante lunam : * in generatione , et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus : * et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia , et abundantia pacis : * donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare ; * et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Æthiopes ; * et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis , et insulae munera offerent : * Reges Arabum , et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terrae : * omnes Gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente ; * et pauperem cui non erat adjutor.

Parcet pauperi , et inopi : * et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris , et iniquitate redimet animas eorum ; * et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet , et dabitur ei de auro Arabiae , et adorabunt de ipso semper : * tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium , superextolletur super Libanum fructus ejus : * et florebunt de civitate sicut foenum terrae.

Sit nomen ejus benedictum in saecula; * ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae;* omnes Gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel ; * qui fecit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum; * et replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Gloria Patri; etc.

Antiph. Judicabit populum in justitia, et pauperes in judicio.

℣. Mihi autem adhaerere Deo bonum est.

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

De Sermone Sancti Bernardi Abbatis
Serm. 3. *de Pass.*

Lectio iv.

QUia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est, nos hic esse, ne sinamus, nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te, in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos. Tu dixisti accedentibus ad te: Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Coelo. Accedamus ergo ad te, et exultabimus, et laetabimur in te, memores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia; omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

℟. Introduxit me Rex in cellaria sua, ordinavit in me charitatem: * Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo. Fulcite me floribus.

Lectio v.

AD hoc Templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, et Amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum; admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuae preces meas; immo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu: amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut purificatus per te purissimum possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

℟. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis in illa die: * Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

℣. Ecce Deus Salvator meus; fiducialiter agam, et non timebo. Confitemini Domino.

Lectio vi.

AD hoc enim perforatum est Latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum

Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolae foderunt manus, et pedes, latus, et Cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc, et impoenitens, amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur.

℟. Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum; * Et spiritum meum ponam in medio vestri.

℣. Effundam super vos aquam vivam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et spiritum meum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Et spiritum meum.

In tertio Nocturno.

Antiph. Misericordiam et veritatem diligit Deus; gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Psalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua, Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei; * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Misericordiam, et veritatem diligit Deus; gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Antiph. Dominus dabit benignitatem; loquetur pacem in plebem suam.

Psalmus 84.

BEnedixisti, Domine, terram tuam: * avertisti captivitatem Iacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos; * et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam; * et salutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos suos: * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi; * justitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de Coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Dominus dabit benignitatem; loquetur pacem in plebem suam.

Antiph. Suavis, et mitis es, Domine, et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Psalmus 85.

INclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me:* quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum:* salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die; * laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam, tu Domine suavis, et mitis, * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe, Domine, orationem meam:* et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia:* tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in aeternum.

Quia misericordia tua magna est super me;* et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et Sy-

nagoga potentium quaesierunt animam meam; * et proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, et misericors,* patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo; et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me, et confundantur; * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Suavis, et mitis es, Domine, multae misericordiae omnibus invocantibus te.

℣. Misericordia Domini ab aeterno.

℟. Et usque in aeternum super timentes eum.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. *Cap.* 15. *v.* 9.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Serm. 13. *in Coena Domini.*

DE dilectione Dei, qua plus bibo, plus sitio, et ea saturari non possum, nec ego, nec aliquis diligens Christum. Ipsa quo plus editur, plus famem exauget, et quanto plus ipsa bibitur, plus sitim inacuit ipsa, quam inhabitat, mentem sic inebriat, ut nihil jam quaerat, vel diligat; nec diligere possit, nec valeat, praeter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum Unigenitum daret; ut omnis, qui credit, et diligit illum, non moriatur, sed vivat cum

eo. Ad hanc nos dilectionem auctor ipse inaestimabilis charitatis invitat: in ea nos manere precatur, et rogat: ait enim: Manete in dilectione mea, ac si aperte dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo, eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa a vestra charitate me sejunxit: me diligite, et in ea dilectione manete.

℟. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: * Manete in dilectione mea.

℣. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Manete in dilectione mea.

Benedictio. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Lectio viii.

SEd qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur, et dicit: Si praecepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione: Sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus delectione. Haec opera; Fratres mei, sunt causa dilectionis Christi: unusquisque vestrum videat, si Dominum Jesum diligere debeat. Qui pro nobis facere debuit, et non fecit? Quomodo nos plus amare potuit, et non amavit? Majorem in nobis dilectionem non potuit habere, quam habuit: quia animam suam pro nobis posuit. Ipsa beata Veritas vestis est, quam majorem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vilescat, Fratres mei, ipsa dilectio Christi, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in San-

guine suo ; non vobis vilescat, Fratres mei, non vobis amarescat ipse amor Christi, ipsa charitas Christi.

℟. Christus pro nobis animam suam posuit : * Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

℣. Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et lavit nos. Gloria Patri. Et lavit.

Lectio ix.

AMor Christi totus dulcis, totus delectabilis, suum possessorem non cruciat, sed delectat; non enervat, sed roborat : cuncta terrena subsannat, sola coelestia captat. Christi mandata requirit et ea pro viribus observare contendit, et de ob servatione praeceptorum gressu felici provehitur ad perceptionem gaudiorum, et cum illo jam perfecte gaudeat, pro cujus desiderio in hac valle lacrymarum positus, tam amare feliciter suspirabat, unde recte sequitur : Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur ; ac si diceret : ideo praecipio vobis, et moneo vos mea observare praecepta, et manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum de me adimpleatur: ut habeam de vobis permutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere, et illud gaudium, quod in retributione praemiorum electi sunt percepturi, percipere, et possidere possitis.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Ant. Discite a me quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Suavis est Dominus, et in aeternum misericordia ejus.

Antiph. Sitivit in te anima mea, quia melior est misericordia tua super vitas.

Antiph. Sancti, et humiles corde, benedicite Domino: Laudate, et superexaltate eum in saecula.

Antiph. Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.

Capitulum *Cant.* 3. *v.* 11.

EGredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis ejus, et in die laetitiae Cordis ejus.

Hymnus.

SUmmi Parentis Filio
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi,
Promamus ore canticum.
Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urens ignibus
Ipsum qui amantem diligunt,
Jesu doloris victima,
Quis Te innocentem compulit,
Dura ut apertum lancea
Latus pateret vulneri?

O fons amoris inclyte !
O vena aquarum lympida !
O flamma adurens crimina !
O Cordis ardens charitas !
In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiae,
Coelique tandem praemiis.
Semper Parenti; et Filio
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paraclyto
In saeculorum saecula. Amen.
℣. Misericordia Domini ab aeterno.
℟. Et usque in aeternum super timentes eum.

Ad Benedictus.

Ant. Per viscera misericordiae suae visitavit nos Deus : et fecit redemptionem populi sui. Allel.

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari : ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae Redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas.

Ad Primam.

Antiph. Discite a me.
℟. *brev.* Christe Fili Dei vivi, * Miserere nobis. Christe.
℣. Per quem salvati, et liberati sumus. Miserere. Gloria Patri. Christe.
℣. Exurge Christe adjuva nos.
℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Ad Absolut. Capit. Lectio brev. Improperium expectavit cor meum, *ut infra ad Nonam.*

Ad Tertiam.

Antiph. Suavis est Dominus.

Capitulum. Egredimini, *ut ad Laudes.*

℟. *brev.* Misericordia tua, Domine, * plena est terra. Misericordia.

℣. Justificationes tuas doce me. Plena est. Gloria Patri. Misericordia.

℣. Secundum misericordiam tuam vivifica me, Domine.

℟. Et custodiam testimonia oris tui.

Ad Sextam.

Antiph. Sitivit in te.

Capitulum. Cant. 8. v. 6.

Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors, dilectio.

℟. *brev.* Secundum misericordiam tuam, * vivifica me, Domine. Secundum.

℣. Et custodiam testimonia oris tui. Vivifica me. Gloria Patri. Secundum.

℣. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

℟. Et doce me justificationes tuas.

Ad Nonam.

Antiph. Beneplacitum est.

Capitulum. *Psal.* 68.

IMproperium expectavit cor meum et miseriam : et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni.

℟. *brev.* Fac cum servo tuo, * secundum misericordiam tuam. Fac cum servo tuo.

℣. Et justificationes tuas doce me. Secundum misericordiam tuam. Gloria Patri. Fac cum servo tuo.

℣. Veniat super me misericordia tua, Domine,

℟. Salutare tuum, secundum eloquium tuum.

Ad Vesperas.

Antiph. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo : * Sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion :* dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus Sanctorum : * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum : * Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri , etc.

Antiph. De torrente in via bibet , propterea exaltabit caput.

Antiph. Miserator Dominus , redemptionem misit populo suo.

Psalmus 110.

Confitebor tibi , Domine , in toto corde meo: * in consilio justorum , et congregatione.

Magna opera Domini : * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio , et magnificentia opus ejus : * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum , misericors , et miserator Dominus : * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui : * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem Gentium : * opera manuum ejus veritas , et judicium

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in saeculum saeculi : * facta in veritate , et aequitate.

Redemptionem misit populo suo : * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum , et terribile nomen ejus : * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc.

Antiph. Miserator Dominus , redemptionem misit populo suo.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.

Antiph. Super misericordia tua, Domine: confitebor tibi in toto corde meo.

Psalmus 137.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: *

quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine, misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Super misericordia tua, Domine: confitebor tibi in toto corde meo.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Psalmus 144.

EXaltabo te, Deus meus rex: * et benedicam nomini tuo in saeculum, et in saeculum saeculi.

Per singulos dies benedicam tibi, * et laudabo nomen tuum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magnus Dominus, et laudabilis nimis: * et magnitudinis ejus non est finis.

Generatio, et generatio laudabit opera tua: * et potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriae sanctitatis tuae loquentur : * et mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent : * et magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt : * et justitia tua exultabunt.

Miserator, et misericors Dominus : * patiens, et multum misericors.

Suavis Dominus universis : * et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua : * et sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent, * et potentiam tuam loquentur.

Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam : * et gloriam magnificentiae regni tui.

Regnum tuum, regnum omnium saeculorum.* et dominatio tua in omni generatione, et generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: * et sanctus in omnibus operibus suis.

Allevat Dominus omnes, qui corruunt : * et erigit omnes elisos.

Oculi omnium in te sperant, Domine : * et tu das escam illorum in tempore opportuno.

Aperis tu manum tuam : * et imples omne animal benedictione.

Justus Dominus in omnibus viis suis : * et sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum:* omnibus invocantibus eum in veritate.

Voluntatem timentium se faciet: * et deprecationem eorum exaudiet ; et salvos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se: * et omnes peccatores disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum: * et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum, et in saeculum saeculi.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.

Capitulum. *Cant.* 3. 11.

EGredimini, et videte, Filiae Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis ejus, et in die laetitiae Cordis ejus.

Hymnus. Quicumque certum quaeritis, *ut ad Matutinum.*

℣. Misericordia Domini a progenie in progenies. ℟. Timentibus eum.

Antiph. Suscepit nos Dominus in sinum, et Cor suum recordatus misericordiae suae. Allel.

Canticum B. M. V. *Luc.* 1. *v.* 8.

MAgnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus, * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies: * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis : * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in saecula.

Gloria Patri, etc.

Antiph. Suscepit nos Dominus in sinum, et Cor suum recordatus misericordiae suae. Allel.

Oratio.

FAc nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari : ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae Redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas.

FESTA JUNII.

DIE I. JUNII.

In Festo B. Jacobi de Strepa Ep. et Conf. 1. Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui in Beato Jacobo Confessore tuo, atque Pontifice Apostolicum evangelizandi Spiritum mirabiliter renovasti ; praesta, quaesumus,

ut ipso intercedente fide, ac moribus tibi jugiter adhaereamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturnô.

Lectio iv.

SÆculo reparatae salutis Decimo quarto ad medietatem vergente, Jacobus Senatoria Streparum Familia in Majori Polonia ortus, ac sedula deinceps Catholicorum Parentum cura pie educatus, in ipso juventutis flore Mundi illecebras simul, ac domesticas commoditates exosus cogitare coepit de capessendo perfectae vitae instituto; utque Christi humilitati, ac paupertati sese propius conformaret, Minoriticum Sancti Francisci Ordinem ingressus est. In eo constitutus, ceu oliva fructifera in domo Dei, nil magis cordi habuit, quam ut pro viribus sublimes assumpti Status Virtutes sibi compararet. Hinc factum est, ut ejus vitae Sanctimonia non potuerit Consodales suos diu latere; quae ne intra Claustri septa, velut lucerna sub modio, delitesceret, missus in Russiam, quae tunc partim ex Infidelibus, partim ex Schismaticis constabat, Societati peregrinantium Fratrum dictae, quae pro tuenda Fide Catholica ad necem usque decertabat, comes Missionarius adiunctus est. Quoniam vero in obeundo hujusmodi Ministerio necessitatis saepe compellebat Socios assumere ex ipso suo Ordine illic jam vigente, ei subinde Praefecturam demandarunt Coenobii Lemburgae, quae postea Leopolis dicta est. Demum Vicarius Generalis totius illius Missionis auctoritate Apostolica fuit renuntiatus. Porro quam egre-

gie singula ea munia expleverit, decennio decurrente, brevibus complexus est Kaliciensis Archiepiscopus Bernardus, ipsum appellans virtuosum Operarium pro aedificanda Ecclesia, Dei. Eo demortuo, et Uladislao Jagello Poloniae Rege deprecante, Bonifacius Nonus ad eam Metropolitanam Ecclesiam, quae deinceps Leopolim translata est, Jacobum evexit. ℟. Inveni.

Lectio v.

IN hoc eminenti Statu mirum dictu est, quam praeclara omnium Virtutum ediderit specimina toto octodecim annorum spatio, quibus illam rexit Ecclesiam. Abjectum pauperrimi sui Instituti habitum retinere, ac dimisso nobilissimae Familiae suae Stemmate, Beatae Mariae Virginis effigiem, quam singulari obsequio prosequebatur, Annulo Pastorali insculptam deferre, gloriae duxit. Quapropter ad ejus cultum, et devotionem propagandam, Populo per campanae sonitum convocato, stata hora vespertina, quotidie in Ecclesia Parochiali, ipso praesente, quasdam preces decantandas designavit. Ut autem suos Dioecesanos omnes eo, quo ipse aestuabat, ardore in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum accenderet, cum in Leopoliensi Ecclesia Corporis Christi moris esset publicae adorationi illud exponere, ipsam devote visitantibus quadraginta dierum Indulgentias elargitus est. Quoniam vero illis in Regionibus, abjectis erroribus, Fidelium numerus in dies augebatur, hinc magnopere fuit sollicitus, ut Ecclesiae Parochiales de novo erigerentur, et Religiosorum Monasteria augerentur, quae de Decimis sibi assignatis dotavit,

ac pretiosas supellectiles ad ipsorum ornatum liberalissime donavit : nec eo contentus , utriusque etiam sexus Fideles ad haec pia opera promovenda quadragenariis pariter Indulgentiis excitabat. Proximiorum bono , qua potuit ratione prospexit ; pauperibus namque sublevandis , peregrinis hospitio recipiendis , dissidentibusque, qua nobilibus , qua plebeis , mirum in modum componendis , totum se praebuit. Excellens quoqua fuit ipsius in Deum Charitas , cum omnis generis incommoda , et pericula etiam amittendae vitae firmo , et alacri animo pertulerit ad obitum usque , tum sacris in concionibus peragendis , tum in reliquis Pastoralibus officiis exequendis , ut Dei gloriae , Ecclesiae incremento, et animarum saluti prospiceret.

℟. Posui.

Lectio vi.

QUemadmodum illustre Episcopalis muneris exemplar se praestitit Jacobus ; sic et egregium Reipublicae Optimatem in eo mirati omnes fuerunt. Cum enim tunc temporis Poloniae Regnum Barbarorum incursionibus perturbaretur , non solum publicis indictis precibus coram Augustissimo Sacramento , tamquam Pastor fidelis , verbo, et exemplo suum Gregem ad divinam opem implorandam excitabat , verum etiam , ut villicus utilis , Senatoris officio fungens, tum privatim , tum palam in Regni Comitiis saluberrima consilia pro Patriae salute praestabat ad Hostium conatus repellendos. Qua in re cuncta ei feliciter adeo cessere , ut communi postmodum elogio Pa-

triae tutor, et Regni custos diceretur. Tandem anno quadringentesimo undecimo supra millesimum laboribus confectus, ac senio gravatus pretiosam in conspectu Domini mortem Leopoli oppetiit. Ejus corpus Religiosis simul, et Pontificalibus indutum vestibus (prout decennio ante ipsemet Testamento jusserat) in Ecclesia S. Crucis inter suos insigni pompa conditum fuit, extructo prope Altare majus peculiari tumulo. Sanctitatis ejus fama in tota Russia, Polonia, aliisque finitimis Provinciis confestim, Deo mirabilibus signis eam firmante, adeo invaluit, ut Fideles ad ejus opem, tutelamque implorandam difficillimis in rebus, ad ejus Sepulchrum concurrerint, ipsum uti Sanctum colere coeperint. Ast cum ob frequentes bellorum tumultus, ac Scytharum irruptiones, loci, in quo sepultus fuerat, notitia sensim periisset, anno tandem millesimo sexcentesimo decimo nono mirabiliter inventus est, et in eo Sancti Antistitis Corpus adhuc integrum, et pristinis vestibus ornatum: quod nova in Urna reconditum, die vigesima Octobris anni millesimi vigesimi sexti solemniter priori in loco repositum fuit. Novissime vero, praedictis Minoribus Fratribus a pervetusto S. Crucis Coenobio ad alium Civitatis locum traductis, Ferdinandus Kichius Leopolensis Archiepiscopus idem Beati Jacobi corpus in suam Metropolitanam Ecclesiam assumens, locandum duxit in Sacello Sanctissimi Crucifixi, ubi pari, qua antea devotione colitur. Sanctissimus vero Dominus Noster Pius Papa Sextus ipsius cultum numquam interruptum, et ad haec usque tempora propagatum benigne ap-

probavit die undecima Septembris anno millesimo septingentesimo nonagesimo.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. *Cap.* 10.

IN illo tempore: dixit Jesus Pharisaeis Ego sum Pastor Bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Serm. 137. *de verb. Evang. Joan. Cap.* 10. *Tom. V. Edit. Monac. Congreg. S. Mauri; alias Serm.* 49. *in Cap.* 10. *Joannis.*

CUm legeretur Evangelium, puto, quod animadvertistis, quod designavit Dominus Pastorem, designavit Mercenarium, designavit furem. Pastorem dixit animam suam ponere pro ovibus, et intrare per januam. Furem dixit, et latronem ascendere per aliam partem. Mercenarium dixit, lupum, vel etiam furem, si videat, fugere, quia non est illi cura de ovibus; Mercenarius est enim, non Pastor. Ille intrat per januam, quia pastor est; ille ascendit per aliam partem, quia fur est; ille videns eos qui volunt tollere oves, timet et fugit, quia Mercenarius est, quia non est illi cura de ovibus; mercenarius est enim. Si invenerimus tres istas personas, inveneritSanctitas vestra, et quos diligatis, et quos to-

leretis, et quos caveatis. Diligendus est Pastor, tolerandus est. Mercenarius, cavendus est latro. ℟. Amavit.

Lectio viii.

SUnt homines in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, qui ex occasione evangelizant, quaerentes ab hominibus commoda sua, sive pecuniaria, sive honorum, vel laudis humanae. Quomodolibet volentes accipere munera evangelizant, et non tam salutem ejus quaerunt, cui annuntiant, quam commodum suum. Ille autem, qui audit salutem ab eo, qui non habet salutem, si ei crediderit, quem ille annuntiat, neque in illo spem posuerit, per quem illi annuntiatur salus: qui annuntiat, habebit detrimentum: cui annuntiatur, habebit lucrum. Habes Dominum dicentem de Pharisaeis: Cathedram Moysi sedent. Non eos solos significabat Dominus: quasi vero eos, qui crederent in Christum, ad Judaeorum Scholam mitteret, ut ibi discerent quemadmodum iter sit ad Regnum Coelorum. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NOnne ideo Dominus venit, ut institueret Ecclesiam, ipsosque Judaeos bene credentes, et bene sperantes, et bene diligentes segregaret tamquam frumenta a paleis, et faceret unum parietem circumcisionis, cui conjungeretur alius paries ex praeputio Gentium; quibus duobus parietibus de diverso venientibus esset ipse Lapis angularis? Nonne ergo idem Dominus de duabus istis: Plebibus in uno futuris dixit: habeo et alias oves, quae non sunt ex hoc ovili? Loquebatur

autem Judaeis : oportet me , inquit , et eas adducere , ut sit unus grex , et unus Pastor.

Te Deum laudamus.

DIE III. JUNII

In festo B. Andreae de Hyspello Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

CLementissime Deus qui Beati Andreae Confessoris tui meritis, et intercessione , aeris serenitatem et pluviam poscentibus tribuisti congruentem : mentes nostras imbre tuae gratiae perfunde, ut sordibus peccatorum abstersis, perpetua vultus tui hilaritate perfrui mereamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Scrip. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANdreas , Hyspelli , in Umbria , illustri loco natus , pueritiam , et adolescentiam summa innocentia morum, ac virtutis laude traduxit. Sacerdotio deinde initiatus , et Parochi munus a Nicolao Episcopo Spoletano , postulantibus Civibus, suscipere jussus, egregii Pastoris partes pluribus annis implevit. Sed Matre, ac Sorore defunctis , ut meliora charismata aemularetur, post divenditum patrimonium , ejusque pretium in pauperes erogatum, liber, expeditusque nascentis Minoritici Ordinis habitum, ipsius Sancti Francisci manibus indutus est. Inter septuaginta duos Discipulos , quos Beatissimus Patriarcha , ultra

duodecim Socios, ad Christi Domini exemplum elegit, adnumeratus est; quorum etiam primus extitit Sacerdos. Itaque, et ipse post biennium morienti Seraphico Patri adstitit omnibus pietatis officiis, et ab eo vicissim eximius Divini verbi praeco est preanuntiatus, ut mox probavit eventus. ℟. Honestum.

Lectio v.

Ad generalia siquidem Ordinis Comitia, Soriae in Hispaniis habita, accersitus, eo fervore Populum in maxima siccitate laborantem ad poenitentiam excitasse fertur, ut in lacrymas proruperint universi; ipsosque orante, tam grandis pluvia deciderit, ut exinde Andreas ab Aqua, veluti cognomento appellari coeperit. Hinc ad Verbi Dei praedicationem communi suffragio destinatus est: quo in munere obeundo, et virtute sermonis, et miraculorum magnificentia, in quibus, et mortuos suscitasse perhibent, innumeras propemodum peccatorum animas in viam salutis reduxit, dictus propterea, Predicator maximus. Contemplationi subinde in Conventu Carcerum nuncupato prope Assisium se totum addixit, ubi Christum Jesum sub Infantis specie videre meruisse memoriae proditum est: a cujus dulcissimo aspectu, cum semel audito Vesperarum signo, se illico proripuisset, ut divinis laudibus interesset, mox a Choro in cellam reversus, expectantem invenit Divinum Parvulum, ac dicentem: Bene fecisti obediendo: Ego tibi propitius ero. ℟. Amavit.

Lectio vi.

PRofessam paupertatem, ac puritatem, patientiam, caeterasque virtutes illibate custodivit, Sacras Vallis gloriae Virgines Hyspelli a Sancta Clara sibi plurimum commendatas, indefessa charitate prosecutus est; eisque indigentibus perennem aquae fontem suis precibus impetravit. Denique laboribus attritus, ac meritis plenus, tertio nonas Junii sexagenarius obdormivit in Domino, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Corpus clarum miraculis, honorifice conditum est in patrio Templo Sancti Andreae Apostoli, quod cum adnexis Ædificiis a Bartholomaeo Spoletano Episcopo, et Canonicis oblatum, jampridem acceperat pro sui Ordinis Fratribus; quorum opera, constructis sub Urbano Octavo processibus, ac immemorabili ejus cultu sub Clemente Duodecimo rite probato, annuente postmodum Benedicto Decimoquarto solemni supplicatione translatum, summa ibidem religione colitur.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homilia Venerabilis Badae Presbyt. in Evang.* Nolite timere, pusillus, *de eod. comm.* 2 *loco.*

DIE IV. JUNII.

In festo S. Francisci Caracciolo Conf. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui Beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et poenitentiae amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes ad coelestem gloriam pervenire mereamur. Per Dominum.

In 1.Noct. Lect. de Script. occur.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Franciscus dictus antea Ascanius, ex nobili Familia Caracciolo in Oppido Sanctae Mariae de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens unice Deo famulari exoptans, dum e gravi morbo convaluit, saeculo valedixit. Mox Neapolim profectus, Sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus Sodalitio, contemplationis, lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se praebuit assiduum. Contigit autem, ut Epistolium alteri destinatum, ei per errorem redderetur; quo a piissimis viris Joanne Augustino Adorno et Fabricio Caracciolo ad novi Religiosi Instituti fundationem vocabatur: rei novitate captus, et divinae voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illius adjunxit. Conditis autem

in Camaldulensium Eremo, quo secesserant, novi Ordinis legibus, inde Romam simul profecti, Confirmationem a Sixto Quinto impetrarunt, qui eosdem Clericos Regulares Minores appellari voluit, addito ad tria consueta altero, de non ambiendis Dignitatibus voto.

℟. Honestum.

Lectio vi.

SOlemni emissa professione, ob singularem ejus in Divum Franciscum Assisinatem cultum, Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni, quamquam invitus, praeficitur, quo in munere virtutum omnium praeclara praebuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis, et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperrima quaeque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim, quam conscenderat, ab imminenti naufragio, orationis praesidio, servavit incolumem. Ut in Regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit, sed ejus sanctitatis fama praelucente, amplissimaque Catholicorum Regum Philippi Secundi, et Philippi Tertii munificentia, adversariorum conatibus singulari animi fortitudine superatis, plura sui Ordinis domicilia fundavit: quod pari eventu per Italiam praestitit.

℟. Amavit.

Lectio vi.

HUmilitate adeo excelluit, ut Romam veniens in pauperum hospitio receptus se leproso sociaverit, et Ecclesiasticas Dignitates a Paulo Quinto sibi oblatas constantissime recusaverit. Illibatam perpetuo servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniae insidiantes, Christo lucrifecit. Erga divinissimum Eucharistiae misterium ardenti aestuans amore noctes pene integras in ejus adoratione, insomnes ducebat: quod pium exercitium veluti sui ordinis tesseram in eo perpetuo servandum constituit. Deiparae Virginis cultum impense fovit. In proximum eximia exarsit charitate. Prophetiae dono, et cordium scrutatione ditatus fuit. Quadragesimum quartum aetatis suae annum agens, dum in Sacra Lauretana Æde in oratione persisteret, sibi vitae finem imminere cognovit. Aprutium statim deflexit, et in Civitati Anglonensi apud alumnos Sancti Philippi Nerii morbo correptus, Sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, pridie nonas Junii anni millesimi sexcentesimi octavi, in pervigilio festi Corporis Christi placidissime obdormivit in Domino. Sacrum ejus Corpus Neapolim delatum in Ecclesia Sanctae Mariae Majoris, ubi prima sui Ordinis jecerat fundamenta, honorifice conditum fuit. Eum postea miraculis clarum Clemens Decimus quartus Pontifex Maximus solemni ritu Beatorum albo, Pius vero Septimus Pontifex Maximus novis fulgentem signis anno millesimo octingentesimo septimo Sanctorum albo adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *ut in comm. Conf. non Pont.*

DIE V. JUNII.

In festo B. Pacifici a Ceredano Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter Orat. seq.

Oratio.

DEus, qui Beatum Pacificum Confessorem tuum verbo, atque exemplo clarere fecisti: praesta quaesumus, ut ejusdem vestigia sectantes, ad coelestem patriam perducamur. Per Dominum.

In 3. Noct. Lect. de Scrip. occurr.

Lect. vero 2. et 3. Noct. sumuntur ex comm. Conf. non Pont. 1. loco.

DIE XII. JUNII.

In festo B. Guidi Cortonensis Conf. 1. Ord. dupl. maj. Omnia ut in Brev. praeter Orat. seq.

Oratio.

DEus, qui Beatum Guidum Confessorem tuum religiosae perfectionis exemplar, et Evangelicae praedicationis ministrum praebuisti: ejus, quaesumus, intercessione concede, ut per bona opera proximis nostris lucis exempla monstremus. Per Dominum.

Deinde fit comm. SS. MM. Basilidis etc. quorum in 3. Noct. dicitur ix. Lect. et in Laud. fit comm. ut in Breviar.

DIE XIII. JUNII.

In festo S. Antonii de Padua Conf. 1. Ord. dupl. 1. Class. cum Octav.

Ad Vesperas.

Antiph. Gaudeat Ecclesia, quam in beatorum sponsus ornat gloria matrem filiorum.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Antiph. Sapiente filio pater gloriatur, hoc et in Antonio digne commendatur.

Antiph. Qui dum sapientiam saeculi calcavit, prudens summi gloriam Patris exaltavit.

Antiph. Augustini primitus, regulae subjectus, sub Francisco penitus mundo fit abjectus.

Antiph. Quorum vitam moribus hic profitebatur, gloriosis Patribus jam congloriatur.

Capitulum. *Sap. 7.*

OPtavi, et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae: et praeposui illam regnis, et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.

Hymnus.

EN gratulemur hodie
Christo Regi jucundius
In cujus aula gloriae
Jam jubilat Antonius.
Francisci Patris aemulus,
Sic illi se contemperat,

Ut fonte manans rivulus,
Aquas vitae circumferat.
Longe lateque diffluit,
Sitique mortis aridos,
Verbo salutis imbuit,
Dans rore sacro vividos.
Hic, stigmatum qui bajulo
Patri natus innititur,
Dum praedicat de titulo,
Confixus ille cernitur.
Sub tanto duce militans,
Vincendo se, non vincitur,
Duci miles cohabitans,
Jam bello non concutitur.
Nos in campo certaminis,
Patrum zelantes gloriam:
Hic sub re nostri nominis
Vincamus ignominiam.
Praestet hoc Nati genitor,
Hoc Genitoris, Genitus,
Ac par utrique Conditor
Paraclitus hoc Spiritus. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Antoni.
℟. Ut digni, etc.

Ad Magnificat.

Antiph. O proles Hispaniae, pavor infidelium, nova lux Italiae, nobile depositum urbis Paduanae: fer Antoni, gratiae Christi patrocinium, ne prolapsis veniae tempus breve creditum defluat inane.

Oratio.

ECclesiam tuam, Deus, Beati Antonii Confessoris tui solemnitas votiva laetificet: ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitat. Jam Christum chorus humilis alacrius in jubilo collaudet: In quo sacerdos nobilis Antonius de veritate gaudet.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

LAus Regi plena gaudio,
Qui merces militantium
Seipsum dat Antonio,
Militiae stipendium.
Antoni, Vir egregie,
Qui tuae, quam praenoveras,
Hic vivens arrhas gloriae,
Christum videns, acceperas,
Pro te digna, dum moreris,
Natorum fit commotio,
Margaritae non funeris,
Cujus fias possessio.
Hujus honorem gloriae
Praedixeras in Padua,
Quae tantis in te gratiae
Manet donis irrigua.

Per te Pater cum Filio,
Consolatorque Spiritus,
A criminis contagio
Nos hic emundet funditus. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Quasi secus alveum rivuli plantatus fructum temporaneum dedit hic beatus.

Psalm. Beatus vir, qui non abiit, *cum reliquis de comm. Conf. non Pont.*

Antiph. Monte Sion praedicat Domini praeceptum; et talentum duplicat coelitus acceptum.

Psalm. Quare fremuerunt Gentes.

Antiph. Conterit miraculis haereses docentes, fidem Christi jaculis temere laedentes.

Pslam. Domine, quid multiplicati sunt.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

Lect. ut in Breviar.

℟. *i.* Funditur insontium sanguis a profanis, fitque morientium merces vitae panis: * Rumor ad Antonium volat non inanis.

℣. In minores gladium Fratres dat, in odium Christi, Rex immanis. Rumor.

℟. *ii.* Optans fore socius gloriae victorum, quos occidit impius furor tyrannorum: * Sequitur Antonius vias defunctorum.

℣. Felix, quem non gladius terret, sed in melius mutat, iniquorum. Sequitur.

℟. *iii.* Fervet ad martyrium, dum Rex terrae saevit, sed hoc desiderium suum non implevit: * de quo Rex regnantium aliud decravit.

℣. Tandem in simplicium coetu per indicium fama viri crevit. De quo. Gloria Patri. De quo.

In secundo Nocturno.

Antiph. Grave cor quaerentium nugas vanitatem, discit per Antonium vitae veritatem.

Psalm. Cum invocarem.

Antiph. Contra virum sanguinum clamat, et dolosum, quod hoc genus hominum Deo sit exosum.

Psalm. Verba mea auribus percipe, Domine.

Antiph. Laus perfecta profluit ex lactentis ore, in quo Christus destruit hostem cum ultore.

Psalm. Domine, Dominus noster.

℣. Os justi meditabitur sapientiam.

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Lectio iv.

ANtonius Ulyssipone in Lusitania honestis ortus parentibus, et ab iis pie educatus, adolescens Institutum Canonicorum Regularium suscepit. Sed cum corpora beatorum quinque Martyrum Fratrum Minorum Conimbriam transferrentur, qui paulo ante apud Marrochium pro Christi fide passi erant, martyrii desiderio incensus, ad Franciscanum Ordinem transivit. Mox eodem ardore impulsus, ad Saracenos ire perrexit: sed adversa valetudine afflictus, et redire coactus, cum navis ad Hispaniae littora tenderet ventorum vi in Siciliam delatus est. Assisium e Sicilia ad Capitulum Generale venit: inde in eremum Montis Pauli in Æmilia secessit, ubi divinis contemplaionibus, jejuniis, et vigiliis diu vacavit,

mundo, ac ipsis Fratribus pene ignotus; nam praeter ceteras virtutes, humilitatem tam impense coluit, ut uberrimum sapientiae donum, quo plenus erat, quodque diu occultaverat, nonnisi ex obedientia tandem prodierit.

℟. Plenus sapientiae, fastum qui superbiae humilis timebat: sub indocti facie. * Tantum in se gratiae lumen abscondebat.

℣. Ex se pondus gloriae sibi voluntarie sumere nolebat. Tantum.

Lectio v.

Postea sacris Ordinibus initiatus, et ad praedicandum Evangelium missus, dicendi sapientia, et copia tantum profecit, tamque sui admirationem commovit, ut eum summus Pontifex aliquando concionantem audiens, Arcam testamenti appellarit. In primis vero haereses summa vi profligavit, ideoque perpetuus haereticorum malleus est vocatus. Primus ex suo Ordine, ob doctrinae praestantiam, Bononiae, et alibi sacras litteras est interpretatus, Fratrumque suorum studiis praefuit, obtenta ad id muneris ab ipso Sancto Institutore Francisco in scriptis facultate. Multis vero peragratis Provinciis, anno ante obitum Patavium venit, ubi illustria sanctitatis suae monumenta reliquit. Denique magnis laboribus pro gloria Dei perfunctus, meritis, et miraculis clarus obdormivit in Domino Idibus Junii, anno salutis millesimo ducentesimo trigesimo primo.

℟. Pauperum collegio, pauper in principio,

spiritu probatus, verbi ministerio, * Non affectu proprio datus, sed vocatus.

℣. A quo sit haec actio, fiunt testimonio mors et incolatus. Non.

Lectio vi.

EJus transitum solis Fratribus notum, pueri per Civitatem clamantes: mortuus est Pater sanctus, mortuus est Sanctus Antonius mirifice publicarunt. Pueroum praeconium plurimis, maximisque miraculis Deus confirmavit, quibus rite probatis, Gregorius Nonus Pontifex Maximus, anno ab ejus obitu nondum elapso, cum Sanctorum Confessorum numero adscripsit. Inter miracula vero quibus ubique floruit, illud in primis insigne, quod in ejus Corporis translatione, praesente Generali Ministro Sancto Bonaventura, admirati sunt universi. Cum namque caro tota esset in pulverem arenae similem resoluta, lingua, quae per triginta duos annos sub terra fuerat, ita recens, et rubicunda reperta est, ut hominis viventis potius, quam mortui esse videretur. Quam piissimus Generalis manibus reverenter accipiens, lacrymarum imbre perfusus, is verbis coram omnibus allocutus est: O lingua benedicta, quae Dominum semper benedixisti, et alios benedicere fecisti; nunc manifeste apparet, quanti meriti extitisti apud Deum: et insigens ei devotissima oscula, eam seorsim honorifice collocari mandavit.

℟. In doctrinae poculis justus sua singulis reddens affluebat, loquens magnis, parvulis, * Veritatis jaculis aeque feriebat.

℣. Potior miraculis, virtus haec in oculis omnium clarebat. Veritatis. Gloria Patri. Veritatis.

In tertio Nocturno.

Antiph. Gaude quodnam saeculi transiens viator summi tabernaculi nunc inhabitator.

Psalm. Domine quis habitabit.

Antiph. Nobis fac propitium, a quo recepisti cordis desiderium, vitam, quam petisti.

Psalm. Domine, in virtute tua laetabitur rex.

Antiph. Duc in montem Domini: ora nos, Antoni, junctos Deo homini loco sancto poni.

Psalm. Domini est terra.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius.

℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 5.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi, quae est 15. *in Matthaeum.*

NOlite, inquit, id reputare animo, vos jam hic sedere, et in exigua anguli parte versari: ita enim conspicui omnibus eritis, ut civitas in montis cacumine posita, ut lucerna in domo supra candelabrum lucens. Ubi sunt nunc illi, qui Christi potentiae non credunt? Haec audiant, et de prophetiae vi stupentes, adorent ejus fortitudinem: perpende enim quanta polliceantur iis,

qui ne in sua quidem regione noti erant, videlicet ipsos in terra, et in mare celebrandos, et fama ad terminos orbis perventuros esse. Imo non fama tantum, sed et beneficii efficacia. Non enim illos fama volans notos reddidit ubique, sed ipsa operum celebritas. Nam ceu volucres, velocius quam solis radii, terram omnem peragrarunt, piae religionis lucem emittens.

℟. Vitam probant vilitas, simplex innocentia. cura disciplinae : * Zelo juncta caritas, veritas modestia testes sunt doctrinae.

℣. Sed signorum claritas comprobat haec omnia multiplex in fine. Zelo.

Lectio viii.

Hinc igitur potentiam suam ostendit, ex sequentibus vere fiduciam ab illis exigit his verbis: Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. Ego enim, inquit, lucem accendi; ut vero perseveret ardens, id ad vestram diligentiam pertinet, non vestri tantum causa, sed et illorum gratia, qui hac potientur luce, et ad veritatem deducentur. Neque enim poterunt maledicta vestrum obscurare splendorem, si vos accurate vitam instituatis, atque illo modo, ut qui totum orbem convertere debeatis. Dignam itaque tanta gratia exhibete vitam, ut sicut ille ubique predicatur, sic et haec cum illa concurrat.

℟ Si quaeris miracula, mors, error, calamat tas, daemon, lepra fugiunt, aegri surgunt sani: * Cedunt mare, vincula, membra, resque perditas petunt et accipiunt juvenes, et cani.

℣. Pereunt pericula, cessat et necessitas, narrent hi, qui sentiunt, dicant Paduani. Cedunt. Gloria Patri. Cedunt.

Lectio ix.

NEque enim dixi, id studete, ut bona opera vestra in medium proferatis; neque dixi, exhibete illa, sed luceat lux vestra; multa sit virtus, copiosus ignis, lux ineffabilis. Cum enim tanta virtus sit, fieri non potest, ut lateat, etiamsi is, qui illam possidet, omni modo eam obscuram esse velit, irreprehensibilem igitur illis exhibete vitam, nullamque veram habeant accusandi occasionem, etiamsi sexcenti accusatores adsint, nemo vos obscurare poterit. Pulchre dixit, lux: nihil enim hominem sic illustrem efficit, etiamsi prorsus latere velit, ut virtutis splendor. Sicut enim ipso solari radio circumdatus, ita etiam clarius refulget, non in terram tantum radios emittens, sed ipsum coelum transcendens.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Domus ab Antonio supra petram Dominum posita praestabit, quam maris elatio, fluctus, seu vox fluminum ultra non turbabit.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

Antiph. Laetus tuo jubilat in conspectu, Domine, quo jam introivit; lumen, quod es, si-

milat hunc tibi, qui lumine fruitur, quo vivit:

Antiph. Totus in te sitiens, Deus, ad te vigilans extitit de luce: tu fons indeficiens, tu lux illi rutilans, qui sitis in cruce.

Antiph. Coeli, terrae, marium benedicant Dominum cunctae creaturae: qui tot per Antonium signis auget hominum vitae spem futurae.

Antiph. Sono tubae, tympano, cithara, psalterio, cymbalisque Deum, choro, chordis, organo, laudet in Antonio mystice cor meum.

Capitulum. Optavi, et datus, *ut in Vesp.*

Hymnus.

Jesu lux mentium,
Nos illustra diluculo
Tot signis per Antonium
Opaco fulgens saeculo.
Hic nautis in naufragio
Signo salutis adfuit:
Quibus sub lucis radio
Viae ducatum praebuit.
Haereticum lux fidei
Signo purgat, dum jacitur
Ab alto, vasis vitrei
Fragilitas non frangitur.
Irrisor lucis gratiae
Signorum languet clericus;
Post votum surgens, gloriae
Sancti fit testis publicus.
Per hunc nos, Pater luminum,
Signes, et Lux de Lumine.
Illustratoris hominum
Cum Spiritus munimine. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Antoni. ℟. Ut digni, etc.

Ad Benedictus.

Antiph. Gaude, felix Padua, quae thesaurum possides, cuius clara visio, dignum fore loculum in ara, monstravit: tu signis irrigua, tot in tuo provides miseris, Antonio, serva rei titulum, quae sic te ditavit, sed tu nos ad ardua, Pater, his qui praesides, quorum es possessio transfer, quos hic vinculum mortis inclinavit.

Oratio. Ecclesiam tuam, Deus, *ut supra.*

Ad Tertiam.

Antiph. Laetus tuo jubilat.

Capitulum. Optavi, et datus, *ut supra.*

℟. *brev.* Amavit eum Dominus: * et ornavit eum. Amavit.

℣. Stolam gloriae induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit.

℣. Os justi meditabitur sapientiam.

℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Sextam.

Antiph. Totus in te sitiens.

Capitulum. *Sap.* 7.

VEnerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius, et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, et ignorabam, quoniam horum omnium mater est: quam sine fictione didici, et sine invidia communico, et honestatem illius non abscondo.

℟. *brev.* Os justi, * Meditabitur sapientiam. Os justi.

℣. Et lingua ejus loquetur judicium. Meditabitur. Gloria Patri. Os justi.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsius.

℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Ad Nonam.

Antiph. Sono tubae, tympano.

Capitulum. *Sap.* 7.

MIhi autem dedit Deus dicere ex sententia, et praesumere digna horum, quae mihi dantur, quoniam ipse sapientiae dux est, et sapientium emendator.

℣. *brev.* Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex.

℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. In corde. Gloria Patri. Lex.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

In secundis Vesperis. Antiph. Domus ab Antonio, *cum reliquis de Laudibus. Psalm., Capit., et Hymn., ut supra in primis Vesperis.*

℣. Ora pro nobis, Beate Antoni.

℟. Ut digni, etc.

Ad Magnificat.

Antiph. O Jesu perpetua lux, tot in Antonio signis dans splendorem, de quo non incongrua nobis gloriatio tibi dat honorem. Gratia per hunc tua nos in vase proprio ferre dat liquorem, lampade non vacua lumen det religio, caritas ardorem, donec in domo sua, Pater frui praemio donet post laborem.

Oratio. Ecclesiam tuam, Deus, *ut supra.*

DIE XVII. JUNII.

In festo B. Pauli Buralis Card. de Aretio Ep. Neap. dupl. min. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui admirabiles vocationis tuae tramites Beato Paulo multiformiter ostendisti: ejus nobis intercessione concede, ut te vocantem et intelligere et fideliter sequi valeamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAulus de Aretio ex prisca Buralium stirpe Itrii in Campania ortus, ab ineunte aetate omni genere virtutis non unum specimen dedit. Saeculi illecebras, et Neapolitani Fori jam sibi arridentem celebritatem in ipso juventutis flore contemnens, Itrium secessit; refugensque Regium Sanctae Clarae Consilium, in quo a Carolo Quinto se cooptatum intellexerat, rusticano habitu se abdidit in silvis. Sed ab immissa equitum manu quaesitus, deprehensusque, Neapolim regredi, impositumque munus capessere cogitur. Verum vir Dei aulicos, ac forenses strepitus fastidiens, regularem potius vitae statum, ac recessum ardebat. Quem tandem pluribus humilitatis, et perseverantiae praestitis argumentis inter Clericos Regulares obtinuit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

DIuturni, atque exoptatissimi voti compos effectus, in ipso statim tyrocinio, mirum, quantum in regulari disciplina, atque in omni virtutum genere profecerit. Cum sociis, Andrea Avellino praesertim, de majori alacritate, et de duriori quolibet, ac foediori opere perfungendo contendebat saepius, et prae viribus pugnabat. A quo humilitatis studio ad vilissima quaeque deducto, post repetitas sui Ordinis praefecturas, post amplissimam ad Philippum Hispaniarum Regem functam legationem, post habitas etiam de morum controversiis lectissimas consultationes, numquam vel minimum discessit. Ut strenue proinde non una Episcopali Sede recusata, ad Placentinam, tum ad Neapolitanam non potuerit, nisi supremis adigi obedientiae legibus, et inter ipsos Purpuratos Patres nonnisi anxio, ac reluctanti animo adscisci.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

VErum in his omnibus nihil immutatus, charitatis, atque religionis studio vehementius exarsit. Tridentini decreta, morumque reformationem editis, Synodis zelavit, induxitque: Christianae disciplinae scholas aperuit. Religiosorum coenobia, Foeminarum collegia, Clericorum seminaria excitavit non solum, sed victu etiam fovit, et stipe frequenti. Hereticis, Hebraeis, Turcis, sodalitatibus, concionibusque ad eorum conversionem institutis, consuluit. Ac undique, ope-

ra ejus, et exemplo instaurati mores, excisae corruptelae, usurae, blasphemiae, impudicitiae procul amandatae. Quibus, aliisque pluribus laboribus, aerumnis, poenitentiisque confectus, et prae virium imbecillitate corpore pene fatiscens, in terram acerbo casu, femore fracto, prostratus est. Quo ex vulnere, anno aetatis sexagesimo septimo diris doloribus ad extremum usque fortiter toleratis, evolavit in Coelum.

℟. Iste est.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Homo peregre, *ut in comm. Conf. Pont.*

DIE XVIII. JUNII.

In Civitate et Dioecesi Neapolitana.

In festo B. Petri de Pisis Conf. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum: da nobis Beati Petri Confessoris tui ita inhaerere vestigiis, ut assequamur et praemia. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus Gambacurta, Pisis in Etruria nobili genere natus, in ipso juventutis flore Patriam, Parentes, atque divitias propter Christum relinquens, in Eremum secessit, ac in Cessanae monte agri Urbinatis aliquamdiu intentam di-

vinis rebus vitam duxit. Ibi ex pia Christi fidelium stipe, anno Domini millesimo tercentesimo octogesimo, Coenobio cum parva Ecclesia in honorem Sanctissimae Trinitatis extructo, una cum duodecim Sociis ad mundi contemptum, et Eremiticae vitae cultum incensis, prima suae Congregationis jecit fundamenta, quam a Sancto Hieronymo, in quem praecipue veneratione affectus vixit, nuncupavit, ejusque virtutes imitari contendit. In idem propositum pios Sodales potissimum est adhortatus, profecitque in dies morum sanctimonia. ℟. Honestum.

Lectio v.

CHaritatem in Deum flagrabat quam maxime: ita vero proximorum saluti studuit, ut ob illorum multitudinem, quid ad meliorem frugem ipsius opera se receperant, brevi multa Monasteria sint constructa. Dei Genitricem singulariter coluit, ejusque patrocinium non uno obsequii genere meruit. In Divinorum meditatione assidue incumbens, media nocte ad Deum laudandum surgebat. Corpus fere quotidie jejuniis, et flagellis macerabat; super paleas, vel humi cubans duriter, ac vix necessarium carpebat somnum. Ad nudam carnem vestem asperam instar cilicii adhibuit. Paupertatis amans et cultor, nec quidquam habuit proprium; et Instituti sui asseclas pauperes propter Christum appellari voluit. Suas, et Fratrum calamitates patienter tolerabat: benignitate, et animi demissione emicuit: singulorum vero indigentiae famulari, tum etiam vilissima quaeque obire munera in deliciis habuit.
℟. Amavit.

Lectio vi.

DOnis a Deo ob sanctitatem auctus, quamplurimos morbis gravibus afflictatos sanitati restituit. Daemones ab humanis corporibus miserrime oppressis, et cruciatis decedere compulit: multis in extremo discrimine opitulatus est. Futura quoque praedixit: Romanis Pontificibus virtutum merito charus, et in pretio habitus, ab ipsis multis cumulatus est beneficiis, quae in institutam a se Religiosam familiam redundarunt. Denique octogesimum annum agens, Venetiis, quo coetus sui causa concesserat, praenuntiato mortis die, ac Sacramentis Ecclesiae susceptis, decimoquinto Kalendas Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo quinto migravit in Coelum, miraculis multis post obitum clarus.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Sint lumbi vestri, *ut in comm. Conf. non Pont.*

DIE XIX. JUNII.

In festo B. Michelinae Viduae 3. *Ord. dupl. min, Omnia de comm. nec Virg., nec Mart. praeter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui Beatam Michelinam a terrenis solutam affectibus ad amorem tuum dispositione admirabili transtulisti: tribue nobis, quaesumus;

ut ejus meritis, et imitatione, a noxiis cupiditatibus expediti, quae tibi sunt placita liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

Et fit comm. Octav. S. Antonii.

Antiph. O Jesu perpetua lux.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni.

Oratio. Ecclesiam tuam, Deus, *ut in Festo.*

Postea Ss. Mm. Gervasii, et Protasii.

Antiph. Istorum est enim.

℣. Letamini in Domino.

Oratio. Deus qui nos annua, *de comm. plurim. Mart.*

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Michelina, Pisauri ad oram Adriatici maris, saeculo ineunte decimoquarto, orta est ex illustri copiosaque familia Matellia. Egregia puellae indoles ad virtutem prona, et a prima aetate magna quaeque portendens, incendi magis visa est ad pietatem domestico parentum exemplo, sanctisque institutis. Duodennis viro aeque nobili nupta est; exactoque in castissimi conjugii foedere octo annorum spatio, viri primum, deinde unici filii mortem, quem materne diligebat, forti erectoque in Deum animo pertulit. Vanas, et umbratiles mundi pertaesa delicias, et claro excitata exemplo piae mulieris, e Syria Pisaurum specie peregrinantis appulsae, quam postea contubernalem habuit, et poenitentis vi-

tae sociam, prima inter Pisaurenses nomen dedit Tertio Ordini Sancti Francisci de Poenitentia, ut in asperrimo vitae genere a terrenis curis exempta, liberius Coelestium contemplationi vacaret. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ERogato itaque in pauperes avito censu, et in coelestes thesauros per eorum manus deportato, vili ac hispido induta sacco, pedibus nuda, victum mendicato quaerens, corpus suum inedia, vigiliis, cilicio, flagellis attrivit, vix brevi concessa quiete super nuda humo, vel asseribus stramine instructis. A consanguineis, id vitae genus iniquo animo ferentibus, nunc conviciis, nunc verberibus lacessita, a suscepto instituto deterreri non potuit, unice anxia pati, et contemni pro Christo. De proximorum salute sollicita, verbo, et exemplo perditos Cives a vivendi licentia ad castigatos mores revocavit: aegrotis tamquam vile mancipium praesto fuit in nosocomiis, in eorumdem traducens compendium, tum eleemosynas sibi collatas, tum quidquid operata fuit consilio manuum suarum, tantoque erga illos incensa est charitatis aestu, ut mulier fortis, suique victrix, osculari, et ore saepius attingere non abhorruerit foeda ulcera leprosorum, qui non sine miraculo sanitati sunt restituti. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

COnfirmata jam aetate, prompti navigii, honestique comitatus nacta opportunitatem, in Palaestinam trajecit, pie veneratura loca Christi vestigiis, et sanguine consecrata. In Calvariae monte intense orans, rapta est in extasim, sibique reddita, ita de Redemptoris passione disseruit, ut audientes a gemitu, et lacrymis non temperaverint. In patriam redux cumulum addidit virtutibus, quibus antea floruerat, orationi, et contemplationi intenta, poenitentiae, et charitatis operibus addicta, et supernorum charismatum dono praefulgens. Demum confectis Christianae militiae stipendiis, praenuntiatoque dormitionis suae tempore, Sacramentis Ecclesiae expiata, aetatis suae anno quinquagesimo sexto ad coelestem Sponsum evolavit die decimanona Junii, a Christo nato millesimo tercentesimo quinquagesimo sexto. Sacri corporis exuviae miraculis a Deo illustratae, obscuro loco primitus conditae sunt in Ecclesia Sancti Francisci, Fratrum Minorum; sed non multo post in elegantiorem et supra terram editum tumulum iterato invectae, populo Pisaurensi Civi olim suae, nunc Patronae grata pietatis, et obsequii testimonia exhibente. Cultum eidem ab immemorabili tempore delatum decreto suo approbavit Apostolica Sedes anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo; postea vero ejus festum cum Officio, et Missa in Urbe, et Dioecesi Pisaurensi, et a toto Franciscano Ordine celebrari indulsit.

℟. Fallax gratia.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Simile est regnum coelorum thesauro, *ut in comm. nec Virg. nec Mart.*

Pro Ss. Gervasio , et Protasio Mart. Lect. x ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XX. JUNII.

In Octava S. Antonii dupl. min. Omnia , ut in die Festo , praeter Lectiones.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Bonaventurae Episcopi.

Serm. 2. *de S. Antonio Patavino.*

Lectio iv.

BEatus Antonius habuit sapientiam Martyrum, quae est sicut scientia pugnatorum. Nam ille sapiens pugnator fuit , qui novit adversariorum insidias declinare : ille sapientior creditur qui novit adversarios expugnare : sed ille sapientissimus habetur, qui per ipsas hostium manus nosset de hostibus triumphare. Talis revera fuit sapientia Martyrum pugnatorum , qui , servientibus sibi manibus hostium , meruerunt pertingere ad triumphum. Quis enim fabricavit coronam Stephano , nisi manus lapidantium? Quis Laurentio , nisi manus assantium ? Quis Andreae , et Petro , nisi manus crucifigentium? Unde dicitur: Melior est sapientia , quam arma bellatorum. Hanc sapientiam vir Dei Antonius habuit , cum martyrium sic desideravit , et sic animose quaesivit , et sic ad patiendum omne quod potuit , fecit ; quem Deus tamen ad aliud ordinavit , sicut ipsa Legenda ostendit. Qui enim optabat

bellare cum poenis, datum est sibi, ut bellaret cum vitiis, quod secundum Gregorium quoddam martyrii genus extitit. Unde de eo potest dici illud: Certamen forte dedit illi, ut vinceret et sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Et item dicitur: melior est sapientia, quam vires: et vir sensatus melior, quam fortis.

℟. Plenus sapientiae.

Lectio v.

HAbuit etiam sapientiam Confessorum, sive potius Sanctorum Doctorum, quae est sapientia Magistrorum. Sapiens enim Doctor ille dicitur, qui prudenter docet suos discipulos, sapientior ille, qui docet unam totam Provinciam: sed sapientissimus ille, qui docet omnem terram. Idem sapiens Doctor est, qui docet in aliquo tempore, sicut in hyeme tota: sapientior, qui docet in tota vita: sed sapientissimus, qui sic doceret in ista, ut esset sibi, et aliis utilis in futuro. Talis revera fuit Antonius, qui primo docuit se vigilando, orando, jejunando, et carnem servire spiritui cogendo. Secundo docuit proximum non tantum in uno loco, sed undique per circuitum, non ea tantum quae valerent in hac vita ad meritum, sed quae valerent in futura ad praemium, et ad evadendum infernale supplicium; et propterea de eo potest exponi illud: Scientia Sapientis quasi inundatio abundavit, et consilium ejus quasi fons vitae permanet. Sed quis hodie est, qui sic proximum doceat, qui sic de bono animae consulat, et non

potius vana quaerat, vana amet, et vanis omni tempore deserviat?

℟. Pauperum collegio.

Lectio vi.

TAndem Beatus Antonius habuit sapientiam Virginum quae consistit in fugiendo vana, et fugiendo hominum consortia, in vitando verba scurrilia, et omnia, quae possunt lasciviae esse causa. Hoc perfecte fecit Antonius, dum mundum penitus fugit, et religionem elegit, non aliquem locum verbis, vel aspectibus dereliquit; sciebat enim esse scriptum: Sapiens cor, et intelligibile abstinebit se a peccatis, idest, non solum ab opere peccati carebit, sed et ab omnibus causis abstinebit inducentibus ad peccatum. Unde opus verae poenitentiae est, causas peccatorum excidere, et eis aditum ultro non indulgere.

℟. In doctrinae poculis.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Mattheaum.

Lectio vii. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 6. *in Epist.* 1. *Joann. in fin.*

QUicumque ergo solverit unum ex mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Coelorum. Quid est solverit?

Quid est docuerit? Solvitur factis, et docetur verbis. Qui praedicas non furandum, furaris? Solvit ergo in facto qui furatur, et quisquis docet sic, minimus vocabitur in regno Coelorum, idest, in Ecclesia hujus temporis. Qui autem fecerit, et sic docuerit, magnus vocabitur in regno Coelorum. Ex eo, quod dixit hic, fecerit, contra hoc ibi dixit, solverit, idest, non fecerit, et docuerit sic. Ille ergo solvit, qui non facit.

℟. Vitam probant vilitas.

Lectio viii.

Pharisaeos cogitabat, cum ista diceret, qui solvebant legem factis, et docebant verbis. De quibus alio loco dicit: Quae dicunt, facite: quae autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, et non faciunt. Propterea et hic ita sequitur: Dico enim vobis: nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum Coelorum, idest, nisi vos feceritis, et ita docueritis, quod illi non faciunt et sic docent, non intrabitis in regnum Coelorum. Quam ergo legem docebant Pharisaei, et non faciebant, ipsam dicit Christus non venisse solvere sed adimplere: quia ipsa pertinent ad cathedram Moysi, in qua sedentes Pharisaei, et docentes, nec facientes, audiendi sunt, non imitandi.

℟. Si quaeris.

Pro S. Silverio Papa, et Mart. Lect. ix, ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XXII. JUNII.

In festo S. Julianae de Falconeriis Virg. dupl. min. Omnia de comm. Virg. exceptis iis, quae hic propria ponuntur.

Ad Vesperas, et ad Matutinum.

Hymnus.

COelestis Agni nuptias,
O Juliana, dum petis,
Domum paternam deseris,
Chorumque ducis Virginum.
Sponsumque suffixum Cruci,
Noctes, diesque dum gemis,
Doloris icta cuspide,
Sponsi refers imaginem.
Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparae:
Sed crescit infusa fletu,
Flammasque tollit charitas.
Hinc morte fessam proxima,
Non usitato te modo
Solatur, et nutrit Deus,
Dapem supernam porrigens.
Æterne rerum Conditor,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus;
Soli tibi sit gloria. Amen.

Oratio.

DEus, qui Beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es: concede quaesumus; ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti, ac roborati, ad coelestem patriam perducamur. Per eumdem Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JUliana ex nobili Falconeria familia, clarissimo Patre, qui templum Deiparae ab Angelo salutatae aere suo magnifice a fundamentis Florentiae, ut nunc visitur, erexit, Matre Reguardata, ambobus jam senescentibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabulis non exiguum futurae sanctitatis specimen dedit: vagientibus quippe labris, suavissima Jesu, et Mariae nomina ultro proferre audita est. Pueritiam postmodum ingressa totam se christianis virtutibus mancipavit, in quibus adeo excelluit, ut Beatus Alexius patruus, cujus institutis, ac exemplis instruebatur, Matri dicere non dubitaverit, ipsam non foeminam peperisse, sed Angelum; nam in modesto vultu, animoque ab omni, vel levissima erroris macula pura fuit, ut oculos numquam in toto vitae cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, auditoque peccati vocabulo contremuerit; imo sceleris narratione perculsa, illico prope exanimis corruerit.

Expleto nondum decimoquinto aetatis suae anno, re familiari, licet opulenta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo virginitatem in manibus Divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima Religiosum Mantellatarum habitum, ut dicunt, sumpsit. ℟. Propter.

Lectio v.

Julianae exemplum secutae sunt plurimae ex nobilioribus familiis foeminae, ac Mater ipsa Filiae sese religiose instituendam dedit, ita ut, aucto paulatim numero, Ordinem Mantellatarum instituerit, ac illi pie vivendi leges summa prudentia, ac sanctitate tradiderit. Ejus virtutes cum optime perspectas Divus Benitius haberet, morti proximus, nulli melius, quam Julianae, non foeminas tantum, sed et totum Servorum Ordinem, cujus Propagator, et Moderator extiterat commendatum voluit. Verum ipsa demisse semper de se cogitabat, et cum ceterarum esset magistra, in re quaque domestica, licet vili, sororibus famulabatur. Assiduitate orandi integras insumebat dies, et in extasim saepissime rapta; et si reliquum, in sedandis Civium dissidiis criminosis a via iniquitatis retrahendis, ac inserviendis impendebat aegrotis; quorum quandoque saniem, ex ulceribus manantem, admoto ore lambens eos sanitati restituebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis, ferreis, cingulis, vigiliis, humi nude cubando terere solita fuit. Parcissime cibo, et hoc vili, quatuor hebdomadae diebus, et reliquis duobus solo Angelorum pane

contenta, excepto die Sabbati, quo pane solo, et aqua nutriebatur.

℟. Dilexisti.

Lectio vi.

DUra hujusmodi vivendi ratione in stomachi morbum incidit, quo ingravescente cum septuagesimum aetatis annum ageret, ad extremum vitae spatium redacta est. Diuturnae valetudinis incommoda hilari vultu, constantique animo pertulit: de uno tantum conqueri audita est, quod cum cibum capere ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sacramenti reverentiam, arceretur. Verum his in angustiis constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum Panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem exterius admoveret. Precibus illius morem gessit Sacerdos; et mirum! Eodem temporis momento, divinus Panis disparuit, et Juliana sereno, ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum de more curaretur corpus; inventa enim est circa sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma Hostiae; quae Christi Crucifixi effigiem repraesentabat. Hujus prodigii fama, ceterorumque miraculorum, non Florentiae tantum, sed totius Christiani Orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor prope integra saecula adeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa Decimustertius in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo Ordine Beatae Mariae Virginis Servorum, jusserit. Clemens vero Duodecimus munificentissimus ejusdem Ordinis Protector, novis in dies miraculis

coruscantem Sanctarum Virginum catalogo adscripsit. ℟. Afferentur.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evangel. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, *ut in comm. Virg. 1. loco.*

DIE XXV. JUNII.

In festo S. Guilielmi Abbatis Fundatoris Benedictinae Congregationis Montis Virginis. Dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae hic assignantur.

Oratio.

DEus, qui infirmitati nostrae ad terendum salutis viam in Sanctis tuis exemplum, et praesidium collocasti: da nobis, ita Beati Guilielmi Abbatis merita venerari, ut ejusdem excipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.
In secundo Nocturno

Lectio iv.

GUilielmus nobilibus parentibus Vercellis in Insubria natus, vix quartumdecimum aetatis annum expleverat, cum miro quodam pietatis ardore flagrans, Compostellanam peregrinationem ad celeberrimum S. Jacobi Templum aggressus est. Quod iter una amictus tunica, ac duplici ferreo circulo praecinctus, nudisque pedibus prosecutus, asperrima frigoris, et aestus, famis, et sitis summo cum vitae discrimine perpessus est

incommoda. Reversus in Italiam, novam ad Sanctum Domini Sepulchrum peregrinationem molitur: sed quo minus propositum exequatur, varia, atque gravissima intercedunt impedimenta, Divino Numine ad altiora et sanctioria religiosam Juvenis indolem retrahente. Porro in Soliculo monte biennium inter assiduas preces, vigilias, chameunias, et jejunia commoratus, divina subnixus ope, coeco lumen restituit; cujus miraculi fama percrebescente jam Guilielmus latere non poterat: quare iterum Jerosolymam cogitat, et alacris se itineri committit.

℟. Honestum.

Lectio v.

DEi autem monitu, qui eidem apparuit, a proposito revocatur, utilior, ac fructuosior tam apud Italos, quam apud exteras Nationes futurus! Tum Monasterium in Virgiliani Montis cacumine, quod deinde Virginis est appellatum, loco aspero et inaccesso miranda exaedificat celeritate. Socios deinde viros, et Religiosos adsciscit, eosque ad vivendi normam Evangelicis praeceptis et consiliis summopere accommodatam, tum certis legibus ex Beati Benedicti Institutis, magna ex parte desumptis, tum verbo, et sanctissimae vitae exemplis informat.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

ALiis deinde Monasteriis erectis, clarior in dies Guilielmi facta sanctitas, multos ad eum undique viros perducit sanctitatis odore, et miraculorum fama allectos. Nam muti loquelam,

surdi auditum, aridi vigorem, varioque, et immedicabili morbo laborantes, sanitatem ipsius intercessione receperunt. Aquam in vinum convertit aliaque complura mirabilia patravit: inter quae illud non silendum, quod muliercula ad ejus castitatem tentandam missa, in ardentibus prunis humi stratis illaesum se volutavit. De qua re certior factus Rogerius Neapolis Rex in summam viri Dei venerationem adducitur. Demum tempore sui obitus Regi, aliisque praenuntiato, innumeris virtutibus, et miraculis clarus obdormivit in Domino anno salutis millesimo centesimo quadragesimo secundo.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. S. Hieronymi Presbyt. in Evang. Ecce nos reliquimus omnia, *de comm. Abb.*

DIE XXVII. JUNII.

In festo B. Benvenuti Conf. 1. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter seq.

Oratio.

Domine Jesu, qui Beatum Benvenutum Confessorem perfecta sui abnegatione imitatorem tui gloriosum effecisti: da nobis, quaesumus, ut voluntatem tuam semper exequentes, ejusdem gloriae participes esse meramur. Qui vivis, et regnas.

Et fit comm. Ss. Joannis, et Pauli Mart. et Octav. S. Joann. ut in Breviar.

Lectiones trium Nocturnorum dicuntur de comm. Conf. non Pont. 2. loc.

DIE XXIX. JUNII.

COMMEMORATIONES

Omnium Ss. Apostol., et omnium Ss. Martyrum faciendae in festo Ss. Apost. Petri, et Pauli.

In primis Vesperis.

Post orationem diei.

Pro omnibus Ss. Apost.

Antiph. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oratio.

EXaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omnibus Ss. Mm.

Antiph. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Oratio.

DEus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae: ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum.

Ad Laudes.

Pro omnibus Ss. Apost.

Antiph. Vos, qui sequuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

℟. In omnem terram exivit sonus eorum.

℣. Et in fines orbis terrae verba eorum.

Oratio. Exaudi nos; *ut supra.*

Pro omnibus Ss. Mm.

Antiph. Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis.

℟. In Sanctis ejus laudate Deum.

Oratio. Deus, qui, *ut supra.*

In secundis Vesperis.

Pro omnibus Ss. Apost.

Antiph. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.

℣. Gloriosus in Sanctis suis faciens mirabilia.

℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.

Oratio. Exaudi nos, *ut supra.*

Pro omnibus Ss. Mm.

Antiph. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio. Deus, qui, *ut supra.*

FESTA JULII.

DIE IV. JULII.

Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum Trium Ordinum S. P. N. Francisci. Dupl. 1. class. cum Octav. Omnia dicuntur ut in comm. Dedicationis Ecclesiae, de qua per totam Octav. fit comm.

DIE V. JULII.

In festo B. Archangeli Calataphimo Conf. Ord. Min. Observant. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

CLementissime Deus, qui Beatum Archangelum Confessorem tuum solitudinis cultorem evangelicae praedicationis gratia sublimasti; concede nobis famulis tuis, ut ejusdem imitantes exempla consequamur et praemia. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de script. occurr.
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ARchangelus in Oppido Calataphimi Dioecesis Mazzariensis in Sicilia nobili Placentia stirpe progenitus, a primis annis ut Mundi divitias illecebrasque declinaret in Eremum prope Oppi-

dum secessit, et sub Ecclesia a Jubino dicta in antro sese recepit, ubi in oratione vigilans crebra Beatissimae Mariae Virginis visione est recreatus. Cum tamen fama illius sanctitatis et miraculorum, quae plurima per ispum fiebant, brevi percrebuisset, ejusdemque propterea nomen admodum illustratum esset, saeculi honores, hominumque frequentiam exosus inde discedens Alcamum contendit. Ibi cum ei Hospitale aliquanto antea relictum, quod a Sancto Antonio nuncupabant, oblatum esset, illuc transmigravit, deinde sese occulit in Antro, quod hodiedum a Beato Archangelo appellatur. Eremis autem a Martino Papa Quinto in Sicilia aboletis, sacram Sancti Francisci vestem a Beato Matthaeo Agrigentino Panormi recepit, ac tyrocinio expleto Alcamum repetiit, ubi Hospitali in formam Conventus redacto, Vicarius Provinciae renunciatur.

Lectio v.

IN omni vitae statu eximiis virtutibus eluxit. Fuit enim humilis, ut nosci se a nemine cuperet: temperans, ut herbis et aqua viveret: justus, ut peccata horreret: prudens, ut terrestria despiceret: ea vero fide, spe, charitate, ut coelestia semper contemplaretur. Regularum Instituti in primis extitit rigidus custos, atque promotor in mandatis servandis, in Dei gloria promovenda, in animarum salute procuranda ceteris exemplo pracivit, nec sine laude verbum Dei praedicavit. Quapropter meritorum plenus

miraculorum, et prophetiae dono illustris, senioque confectus, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo in sui Ordinis conventu cum ingenti Sanctitatis fama decessit.

Lectio vi.

HIc communi in Sepulchro, separato tamen in loco, tumulatus ad preces Alcamensium e tumulo educitur, ut super Altare in Urna marmorea cum Imagine radios circa caput referente collocaretur. Tunc admodum aucta est Fidelium pietas ex eo, quod sarmenta corpori supposita inventa sunt pampinos germinasse. Exinde non solum Alcamenses festum quotannis solemni pompa celebrare consueverunt, sed etiam Calataphimenses finitimique Populi multa publici et ecclesiastici cultus testimonia exhibuerunt. Postremo Corpus in eadem Minorum Observantium Ecclesia in Ædiculam Sancti Francisci translatum est, et in Altari compositum. Haec omnia rite probata, Gregorius Papa Decimus sextus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto confirmavit, ejusque festum in Ordine Minorum Sancti Francisci de Observantia, et ab universo Clero Dioecesis Mazzariensis Officio Missaque propria colendum indulsit.

In 3. Noct. Homil. in Evang. de 2. loco.

DIE VII. JULII.

In festo B. Laurentii a Brundusio Conf. Ord. Min. Capucc. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui ad ardua quaeque pro Nominis tui gloria, et animarum salute Beato Laurentio Confessori tuo spiritum consilii, et fortitudinis contulisti: da nobis in eodem spiritu, et agenda cognoscere, et cognita ejus intercessione perficere. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BRundusii, Urbe Regni Neapolitani celeberrima piis, et honestis parentibus natus est Laurentius. Jam inde a pueritia, certissima futurae Sanctitatis, et Apostolici, quo maxime praestitit, zeli documenta edidit. A puerilibus nugis alienus uni Deo vacare coepit, et verba facere ad circumfusam multitudinem, cunctis Dei potentiam, qui linguas infantium facit disertas, admirandibus. Sub idem tempus se totum abstinentiae, et corporis afflictationi dedit. Seraphicum Capuccinorum Ordinem ingressus, et Venetae Provinciae adscriptus multo magis in domo Dei sanctitate profecit. Humilitate, obedientia, orationis studio regulari observantia omnibus antecelluit. Exacto

tyrocinio sacris litteris operam dedit, quo instructior ad Apostolicum munus evaderet. Quo erat singulari ingenio, et memoria praeditus, non modo philosophicas, et theologicas facultates, sed linguas etiam Graecam, Hebraicam, Chaldaicam, Germanicam, Gallicam, Hispanicam didicit, et quidem ita, ut cum se dabat occasio his linguis concionari posset. Hebraica vero lingua ad Hebraeos ipsos concionatus est, tanta ejus linguae peritia, quantam non habere se ipsi auditores confessi sunt. Quae res prodigio similis causa fuit, cur opinio invaluerit, a Deo, quod de Apostolis traditur, linguarum ei donum fuisse concessum. Neque vero hoc solum, sed reliqua etiam charismata, ut eventus docuit, quae illis, quos ad magna suscipienda, et agenda pro Nominis sui gloria elegit, impertiri solet. ℟. Honestum.

Lectio v.

SAcerdos consecratus, tum vero maxime ejus fervor erupit, et se totum procurandae modis omnibus animarum saluti devovit. Non curis, non sudoribus, non vigiliis, non vitae ipsi, quam saepe in discrimen adduxit, pepercit. Vicos, castella, urbes, agros obivit. In aulas Principum, in Hebraeorum, et Haereticorum conventus pervasit. Totam fere Europam, Italiam, Germaniam, Hungariam, Hispaniam, Lusitaniam, omnibus benefaciendo, et viam salutis aeternae commonstrando, peragravit. Omne hominum genus complexus est. Catholicos, Haereticos, Hebraeos, nobiles, populares, milites, omnibus omnia fa-

ctus, ut omnes Christo lucrifaceret. Pluribus pro Religione Catholica ad Reges, ac Principes legationibus functus est. Nullam denique demandati sibi Apostolici muneris partem omisit; nunquam cessavit, nusquam quievit. Quo autem fructu, dici non potest. Innumerabiles peccatores ad poenitentiam convertit; Haereticos ad ejuranda falsa dogmata adegit, Hebraeos confutavit, perditissimas mulieres e vitiorum caeno eduxit, discordias composuit, odia extinxit, nihil non ad Dei gloriam, Catholicae Religionis incrementum, et salutem animarum suscepit, effecitque, Deo ipso opitulante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Inter quae celeberrima memoratur victoria de potentissimo Turcarum exercitu, praeter omnem spem, immo vero desperantibus ducibus, Servo Dei praeeunte, et felicem belli exitum annuntiante, in Hungaria a nostris reportata.

℟. Amavit.

Lectio vi.

IN hoc tam indefesso divinae gloriae amplificandae, et proximorum urgendae salutis studio, sibi ipse non defuit: virtutibus omnibus in gradu heroico eminuit unde vis illa incredibilis ad aliorum salutem erupit. Has ob virtutes, et reliquas animi dotes, consilii praesertim, ac prudentiae, post obitas minores praefecturas in provinciis Hetrusca, et Veneta, supremo totius Ordinis regimini praefici meruit. Charitate in Deum fuit ardentissima. Erga Christi Domini Passionem sic afficiebatur; ut in ea cogitatione defixus, fletum continere non posset. Insignis cultor fuit Deiparae Virginis Mariae, cui singulare illud linguarum donum refe-

rebat acceptum. Orationi apprime deditus, quod a reliquis occupationibus supererat tempus totum ei impendebat. In extasim saepe raptus divina patiebatur. Passim offendi Deum ferebat aegerrime et Religionis Catholicae detrimentis angebatur plurimum. Unum Deum, unam Charitatem, unam animarum salutem cogitare, loqui, spirare videbatur. Prophetiae dono enituit, cordium intima penetravit, plura et loco et tempore remotissima praedixit; miraculis etiam et prodigiis insigniter claruit. Propter eximiam sanctitatem Summis Pontificibus acceptissimus fuit, et fere omnium Europae Principum gratia floruit. Demum Orator a Neapolitanis ad Philippum Tertium, qui tunc in Lusitania morabatur, missus, in obeunda Legatione attritus laboribus in morbum incidit ex itinere contractum, quo patientissime tolerato, Sacramentis omnibus summa devotione susceptis, praenuntiato mortis die, cupiens dissolvi, et esse cum Christo, Ulyssipone discessit e vita, die vigesima secunda Julii anno millesimo sexcentesimo decimonono. Quam pretiosa fuerit in conspectu Domini ejus mors, patrata non multo post miracula declararunt. Quibus rite probatis, Beatorum numero Dei Servum Pius Sextus Pontifex Maximus adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Lect.* Sint lumbi vestri, *de comm. Conf. non Pont.* 1. *loco.*

DIE XI. JULII.

In Octava Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum Trium Ordinum S. P. N. Francisci, Dupl. min.

Ad Vesperas ut in primis Vesperis diei Dedicationis, cum comm. Ss. Septem Fratrum Mart. et S. Pii Papae et Mart. ut in Breviar.

Ad Matut. omnia ut in die Dedicationis, praeter Lectiones secundi Noct. quae leguntur de die Octavae ejusdem Dedicat.

Pro S. Pio Papa, et Mart. Lect. ix. ut in Brev. hac ipsa die.

DIE XIV. JULII.

In festo S. Bonaventurae Ep. Conf. et Ecclesiae Doctoris 1. Ord. dupl. 2. class. cum Octav.

Ad Vesperas.

Antiph. Ecce vir bonus, et benignus, verecundus visu, modestus moribus, et eloquio decorus.

Psal. Dixit Dominus; *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Antiph. In omnibus seipsum praebuit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

Antiph. Fecit, quod placuit Deo, et fortiter ivit in via Patris sui.

Antiph. Longe divulgatum est nomen ejus, et dilectus est in pace sua.

Antiph. Mansuetis dabit gratiam, gloriam sapientes possidebunt.

Capitulum. *Sap.* 8. *v.* 2.

SApientiam amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius.

Hymnus.

EN dies lucet veneranda nobis,
Qua decus nostrum, jubar, et corona,
Doctor, et pastor penetravit astra,
Promite cantum.
Indolem nactus placidam, benignam,
Matris ut voto Domino dicatum
Se videt, promptus penetrat, libensque
Claustra Minorum.
Eloquens, mitis, facilis, modestus,
Moribus castus, facie decorus,
Omnibus carus, sibi corda nexu
Vinxit amoris.
Sanctus hinc vivens merito vocatus.
Acta dum Patris calamo notantem,
Spiritu mite, placideque raptum
Cernit Aquinas.
Sint Patri summo, Genitoque Verbo,
Ac tibi verax utriusque Flamen,
Cum quibus regnas Deus unus, idem,
Laudis honores. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Bonaventura.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen Beate Bonaventura, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiae tuae Beatum Bonaventuram Confessorem tuum, atque Pontificem, Doctorem mirabilem tribuisti: concede propitius, ut apud te hunc pium semper intercessorem habere mereatur. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitat. Deum, qui docet hominem scientiam, * Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus.

Hymnus.

VOce laetanti, modulis canoris
Coetus exultans resonet Minorum
Gesta, virtutes duplicata serta
Praesulis almi.
Hic gregis custos vigil, atque prudens,
Dum lupos fortis rabidos repellit,
Legibus sanctis, monituque amico
Vallat ovile.
Luce doctrinae radians per orbem,
Purpurae sacrae tegitur decore,
Qua nitens, clari rutilare coepit
Syderis instar.
Hinc sedens Patrum celebri in Senatu,
Cuncta disponit sapiens gerenda,
Devios jungit Capiti supremo,
Schismate scisso.
Qui Deus regnas moderator orbis
Unus, et Trinus super astra Coeli,
Sint tibi gratos, tibi sint honores
Omne per aevum. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Natus est homo, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.

Psal. Beatus vir, qui non abiit, *ut in comm. Conf. Pont.*

Antiph. Surrexit quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardens.

Psal. Quare fremuerunt gentes.

Antiph. Concrevit ut pluvia doctrina ejus, fluit ut ros eloquium ejus, quasi stillae super gramina.

Psal. Domine, quid multiplicati sunt.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriae induit eum.

De Libro Sapientiae.

Lectio i. *Cap.* 8.

SApientiam amavi, et exquisivi a juventute mea, et quaesivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formae illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei, sed et omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinae Dei, et electrix operum illius. Et si divitiae appetuntur in vita, quid sapientia locupletior, quae operatur omnia? Si autem sensus operatur, quid horum, quae sunt, magis quam illa est artifex? Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, et prudentiam decet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.

℟. Qui sapiens est corde, appellabitur pru-

dens : * Et qui dulcis est eloquio majora percipiet.

℣. Cor sapiens erudiet os ejus; et labiis ejus addet gratiam. Et qui dulcis est.

Lectio ii.

PRoposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis, et taedii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, et honorem apud seniores, juvenis, et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero; et facies principum mirabuntur me; tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Propterea habebo per hanc, immortalitatem, et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

℟. Posside sapientiam, et in omni possessione tua acquire prudentiam, arripe illam, et exaltabit te : * Glorificaberis ab ea cum eam fueris amplexatus.

℣. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, et corona inclyta proteget te. Glorificaberis.

Lectio iii.

INtrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius; sed laetitiam, et gaudium. Haec cogitans apud me, et commemorans in corde meo, quoniam immmortalitas est in cognitione sapientiae, et in amicitia illius de-

claratio bona, et in operibus manuum illius honestas sine defectione, et in certamine loquelae illius sapientia, et praeclaritas in communicatione sermonum illius, circuibam quaerens, ut mihi illam assumerem. Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam.

℟. Concaluit cor meum intra me: * Et in meditatione mea exardescet ignis.

℣. Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est. Et in meditatione. Gloria Patri. Et in meditatione.

In secundo Nocturno.

Antiph. Ubi est humilitas, ibi est sapientia, simplicitas justorum dirigit eos.

Psal. Cum invocarem exaudivit me Deus.

Antiph. Mansueti haereditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis.

Psal. Verba mea auribus percipe Domine.

Antiph. Ostendit ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae.

Psal. Domine, Dominus noster.

℣. Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Lectio iv.

BOnaventura, Balneoregii in Etruria natus, cum adhuc puerulus desperato morbo conflictaretur, Beati Francisci tunc viventis precibus sanitati redditus est. Minorum Ordini, si convaluisset Matris voto dicatus, illud vitae Institutum in Provincia Romana duos et viginti annos natus, amplectitur. In litterarum studiis brevi adeo profecit, ut septimo sui ingressus anno,

doctoris, et magistri insignibus in Parisiensi Academia solemni more decoratus Sententiarum libros ibidem summa cum laude fuerit interpretatus. Ad haec doctrinae excellentiam, Sanctorum scientiam adjunxit, cujus praestantiam, morumque innocentiam admirans ipsius praeceptor Alexander Alensis, dicere solitus fuit, sibi videri quod in eo Adam numquam peccasset. In Christi Jesu passione meditanda assiduus, et Virginis Matris diligentissimus cultor, eadem pietatis studia in aliis excitare, ac fovere omni tempore sategit. Demissione animi tanta fuit, ut cum ejus causa plures dies a Dominici Corporis perceptione abstinuisset, eodem refici, Angelo ministrante, meruerit. Charitate itidem in omnes effusa, ceterisque virtutibus mirabiliter claruit, dignus proinde, qui a Beato Thoma Aquinate, cui summa necessitudine conjunctus fuit, Sanctus appellaretur. Cum enim illum, dum Seraphici Patris vitam conscriberet, in contemplationem raptum, et a terra mirifice sublevatum vidisset, regressus ad suos, sinamus, inquit, Sanctum, quia laborat pro Sancto. Cui etiam aliquando de fontibus, unde tam multiplicem eruditionem promeret, sciscitandi, principem sui librum Jesum Crucifixum ostendit.

℟. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: * In pace, et in aequitate ambulavit cum Deo, et multos avertit ab iniquitate.

℣. Labia enim ejus custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus. In pace.

Lectio v.

His praeclaris virtutibus, dotibusque, quibus omnium animos sibi arctissime devinciebat, factum est, ut vix trigesimum quintum annum ingressus, Romae maximo omnium consensu, Parisiis adhuc immorans, Generalis Minister fuerit renunciatus: quod ipse munus per annos duodeviginti sic gessit, ut in ore omnium et admiratione esset. Multa constituit regulari disciplinae, et amplificando Minorum Ordini perutilia; quem etiam, aliosque simul Mendicantium Ordines magna eloquentiae vi, ac rationum pondere adversus obtrectatores scripto, et voce defendit. Plura quoque ab eo instituta, quae ad augendum Dei, et Deiparae cultum pertinerent. In his, ut ad campanae pulsum sub noctem ter verbis Angelicis Virgo salutaretur. Neque interim tam vasti regiminis distentus curis, a contemplando, scribendoque, et a verbi ministerio unquam destitit; quo etiam tempore laicorum hominum Sodalitates ab ipso initium accepere. Eboracensem Archiepiscopatum, a Clemente Quarto collatum, humiliter abdicavit. Sed non multo post a Beato Gregorio Decimo, qui ejus maxime hortatu in Summum Pontificem electus fuerat, Cardinalis, et Episcopus Albanensis creatus, ut majori cum auctoritate ipse praecipue Concilii Lugdunensis rebus dirigendis praeesset, gravissima universali Ecclesiae causa, et Pontificis praecepto adactus, eas dignitates suscepit.

℟. Vir peritus multos erudivit, et animae suae suavis est: * Vir sapiens implebitur benedictionibus, et videntes illum laudabunt.

℣. Sapiens in populo haereditabit honorem, et nomen illius vivens erit in aeternum. Vir sapiens.

Lectio vi.

IPsius potissimum opera Graecorum tunc unio peracta est. Nam et antea Gregorio Pontifici, Apocrisarios ad Palaeologum Imperatorem missuro, auctor fuit, ut ad munus deligeret Hieronymum Asculanum, postea Nicolaum hoc nomine IV, aliosque Minoritas tres, quorum legatio salutaris fuit; et in Concilio ipso ejus doctrina, prudentia, sanctitate, et ad Deum precibus pastoralis solicitudo Pontificis tantopere adjuta est, ut sublato schismatis dissidio, Imperator, et Orientis Nationes ad Apostolicae Sedis obedientiam, communionemque redierint. His laboribus contracto lethali morbo, sub Concilii exitum Vir Deo, et hominibus dilectus, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, supremum diem explevit, summo cum dolore Patrum omnium, maximeque Pontificis, qui in Concilio ipso testatus, Ecclesiam Dei illius obitu inaestimabilem fecisse jacturam; jussit, ut Praelati, ac Presbyteri singuli toto terrarum Orbe, ipsius animae parentarent sacri unius celebratione. Hujus sancti viri doctrina plurimi semper habita ab Ecclesia fuit. Itaque et in Concilio Florentino adhibita est ad res difficiles explicandas, et a Summis Pontificibus magnopere commendata non iis tantum nominibus, quod per eam perdifficilia explicantur dilucide; illustratur Catholica veritas, errores, et haereses

profligantur, sed et illo praesertim, quod collustrans mentem, simul voluntatem inflammet. Summam quippe eruditionem ille pari cum pietatis ardore conjungens, et seraphicis quibusdam aculeis cor compungens, mira ipsum devotione perfundit. Quamobrem Sixtus Quartus plurimis, maximisque miraculis clarum, et Seraphici nomine passim insignitum, Sanctorum Doctorum consortio adscripsit. Sixtus vero Quintus in plenario Ecclesiae Romanae consessu, solemni ritu, datis etiam specialibus Apostolicis litteris, eumdem praecipuis, et primariis Doctoribus, qui Theologicae facultatis magisterio Ecclesiam illustrarunt, accensendum decrevit.

℟. In diebus suis aedificavit domum: * Et exaltavit templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

℣. Stare fecit portas, et seras, erexit domos nostras. Et exaltavit. Gloria Patri. Et exaltavit.

In tertio Nocturno.

Antiph. Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Beati qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt.

Psal. Domine, quis habitabit.

Antiph. Erat lucerna ardens et lucens, et multi exultaverunt in luce ejus.

Psal. Domine, in virtute tua laetabitur rex.

Antiph. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram: Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.

Psal. Domini est terra, et plenitudo ejus.

℣. Tu es Sacerdos in aeternum.

℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 5.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Episcopi

Ex lib. 2. *Offic. ad S. Fulgent. c.* 5.

QUi in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, ut in omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correctus ingerere: Ante doce te, quae recta sunt. Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet: ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus et doctrina, et opere provocet; cui etiam scientia Scripturarum necessaria est, quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens: Porro si et doctrina, et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possent simplicium corda pervertere.

℟. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis: et quasi lilia, quae sunt in transitu aquae, et quasi

thus redolens in diebus aestatis, * Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne.

℣. Quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso. Quasi ignis.

Lectio viii.

Hujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, et honestatis, plenus suavitatis, et gratiae tractans de mysterio legis, et doctrina fidei, de virtute continentiae, et disciplina justitiae, unumquemque admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumque qualitatem; scilicet ut praenoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat: Cujus prae ceteris speciale officium est, Scripturas legere, percurrere canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare nisi comprobatum, nullum excommunicare, nisi discussum.

℟. In medio Ecclesiae aperuit os ejus;* Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae, et intellectus, et stolam gloriae induit eum.

℣. Jucunditatem, et exultationem thesaurizavit super eum, et nomine aeterno haereditavit illum. Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

Lectio ix.

Quique ita humilitate pariter, et auctoritate praeesse debet, ut neque per nimiam humilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat,

neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos sibi, quanto durius a Christo indagari formidat. Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitas, charitas, locus autem hujus custodis, humilitas. Habebit etiam inter haec omnia castitatis eminentiam, ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, et libera.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Dabo vobis pastorem juxta cor meum, et pascet vos scientia, et doctrina.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

Antiph. Sapientia ejus pudica fuit, et pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis.

Antiph. Praevaluit amplificare civitatem, adeptus est gloriam in conversatione gentis.

Antiph. Benedictus Deus, qui dedit nobis virum sapientem, et eruditum, et sensatum, atque prudentem.

Antiph. Sapientiam ejus enarrabunt Gentes, et laudem ejus enuntiabit Ecclesia.

Capitulum. Sapientiam amavi, *ut in i. Vesp.*

Hymnus.

Qui poli sedem meritis paratam
Jam tenes inter Superos beatus,
Da tuas nobis reserare digne
Carmine laudes.

Abstinens rara pietate ductus,
Corde suspirans, inhians ad ipsam,
Angeli pasci manibus mereris
Corpore Christi.
Tu Redemptoris recolens dolores,
In rubescentis lateris caverna
Aspicis moerens, penetrasque clare
Dogmata pura.
Virginis Christi Genitricis almae,
Corde transfixae meditans agonem,
Jugiter nutris, geminasque flammas
Dulcis amoris.
Laus sit Augustae Triadi per aevum,
Quae tibi mentem tribuit benignam,
Luce nunc nostras feriens adurat
Igne superno. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Bonaventura.
℟. Ut digni, etc.

Ad Benedictus.

Antiph. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.

Oratio. Deus, qui Ecclesiae tuae, *ut supra.*

Ad Tertiam.

Antiph. Sapientia ejus.

Capitulum. Sapientiam amavi, *ut supra in Vesperis.*

℟. *brev.* Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. Amavit.

℣. Stolam gloriae induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit.

℣. Elegit eum Dominus Sacerdotem sibi.
℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Ad Sextam.

Antiph. Praevaluit.

Capitulum. *Sap.* 8.

LAbores sapientiae magnas habent virtutes, sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutes, quibus utilius nihil est in vita hominibus.

℟. *brev.* Elegit eum Dominus, * Sacerdotem sibi. Elegit.

℣. Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Sacerdotem. Gloria Patri. Elegit.

℣. Tu es Sacerdos in aeternum.
℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Ad Nonam.

Antiph. Sapientia ejus.

Capitulum. *Sap.* 8.

INtrans in domum meam, conquiescam cum sapientia, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec taedium convictus illius, sed laetitiam, et gaudium.

℟. *br.* Tu es Sacerdos, * In aeternum. Tu es.
℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et ostendit illi regnum Dei.

In secundis Vesperis.

Antiph. Capit. et Hymn. ut in Laudibus.

Psal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. Psal.* Memento, Domine David.

Antiph. ad Magnificat, et Orat. ut in primis Vesperis et fit comm. sequentis.

DIE XVIII. JULII.

In festo B. Simonis de Lypnica Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Simonem Confessorem tuum Evangelicae praedicationis gratia sublimasti: concede propitius; ut ejus doctrinae pabulo nutriti, quae tibi sunt placita exequentes, per semitas justitiae ad coelestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per Dominum.

Comm. S. Alexii Conf., Octav. S. Bonaventurae, et Ss. Symphorosae, et septem Filiorum ejus Mart. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SImon, in Oppido Lypnica Regni Poloniae, piis, honestisque Parentibus natus, ab ineunte aetate non obscuras exhibuit futurae virtutis significationes; nam, et Deiparam summo studio colebat, et pueriles ludos aspernabatur. Cracoviam studiorum causa missus, ibidem summa cum laude versatus est, et bonis artibus, liberalibusque disciplinis eruditus, in ea Academia primum gradum obtinuit. Sed non ita multo post, cum Ordo Minorum Observantium Sancti Joannis a Capistrano opera, tunc temporis Poloniam invectus sanctitatis fama clareret, illud vivendi Institutum, ut Deo liberius inserviret, amplexus est. ℟. Honestum.

Lectio v.

IN Religione rerum coelestium contemplationi assidue addictus, corpus cilicio, flagellis longaque esurie macerabat. Ferventissimo erga Deiparam amore actus, plures horas quotidie in precibus eidem fundendis suaviter impendebat, diebusque illi sacris cilicio, quod continenter gestare consuevit, aliud asperius superaddebat. Prae maxima animi demissione, vilissima quaeque Coenobii munera obire, hominum praeconia, honoresque fugere, convicia vero, et adversa patientissime ferre solemne habuit. Castitatis perpetuus custos, a mulierum conspectu semper abhorruit. Delato sibi concionandi munere, tanta eloquentia, tantoque fervore functus est, ut plures e vitiorum coeno ad rectam salutis semitam reduxerit, plures etiam ad mundi contemptum pertraxerit. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

MArtyrii aestuans desiderio, in Palaestinam non sine magnis itineris incommodis profectus est. Sed spe sublata Martyrii, postquam loca in quibus redemptionis nostrae mysteria acta sunt, intima, effusaque spiritus consolatione visitasset, Cracoviam reversus est; ubi consuetis exercitationibus sedulam operam navabat. Denique cum pestilentiae morbus in eadem Urbe maxime grassaretur, et Simon, ut erat charitatis plenus, aegrotantibus sacramenta administrare, monita salutis exhibere, quoquo modo opitulari non praetermitteret, eodem et ipse morbo correptus,

ad extremum vitae pervenit. Itaque mortem nihil timens, cupiens dissolvi, et esse cum Christo, oculis in Christi e Cruce pendentis imaginem defixis, spiritum placidissime Deo reddidit, anno a partu Virginis millesimo quadringentesimo octogesimo secundo, quintodecimo Kalendas Augusti. Ejus corpus in Ecclesia Sancti Bernardini sui Ordinis prope Cracoviam elatum, innumeris coepit clarere miraculis. Quare paucos post annos, ut Fidelium culti fieret satis, in nobiliorem locum translatum est. Hunc autem cultum, ab hominum memoria eidem exhibitum, Apostolica Sedes comprobavit. ℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Nolite timere, *de comm. Conf. non Pont.* 2. *loco.*

Pro Ss. Symphorosa, et septem Filiis Martyribus. Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XIX. JULII.

In festo B. Joannis de Dukla Conf. 1. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hym.* Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Joannem Confessorem tuum eximiae humilitatis, et patientiae donis decorasti: concede propitius; ut ejusdem imitantes exempla, consequamur et praemia. Per Dominum.

Et fit comm. B. Simonis, et Octav. S. Bonaventurae.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOannes, in Oppido Dukla Poloniae Regni honestis Parentibus natus, ab infantia futurae sanctimoniae non obscura praebuit indicia. Divina siquidem benedictione praeventus nihil ab uberibus matris suae in ore frequentius, quam sacrosancta Jesu, et Mariae nomina habere consuevit. Christianae perfectionis desiderio incensus, adhuc adolescens Regulam Sancti Patris Francisci apud Minores Conventuales professus est; eo successu, ut una cum aetate creverit etiam in eo eminentiorum virtutum exercitatio; et ob singularem humilitatem, gravitatem morum, et effusam in omnes charitatem Fratribus evaserit acceptissimus. Ad Religionis munia inventus maxime idoneus, pluribus Coenobiis ex obedientia praefuit, et Leopolitanam Custodiam summa cum laude administravit.

℟. Honestum.

Lectio v.

A Sancto Joanne a Capistrano, per Casimirum Regem sub id temporis in Poloniam evocato, Fratribus Minoribus de Observantia adscriptus, praeconceptam sui expectationem abunde cumulavit. Nam Orationi, et Coelestium rerum contemplationi acrius insistere, erga Fratres, ac proximos nullum charitatis officium praetermittere in deliciis habuit. Regularis Observantiae adeo zelator extitit, ut non sine lacrymis, vel minimam negligi sanctae Institutionis partem animadverteret: eoque vel uno libello ditissimus,

illum fere quotidie aut ipse per se legeret, aut ab alio sibi perlegi oblectaretur. Nihil illo tolerantius in laboribus, in vigiliis, et voluntaria corporis afflictatione, nihil continentius in victu, et vestitu fuit. Beatam Virginem Mariam singulari prosequebatur devotionis affectu. Ad haec mirificam dissidentes componendi gratiam, insignem castitatem, et alacrem addidit obedientiam. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Praedicationis vim, et efficaciam ad profectum attulit animarum, maxime in Ruthenis schismaticis, et Armenis confutandis, quos ad Catholicae Fidei unionem revocare omni ope sategit. A coelestis vitae tramite aberrantes, quamvis ex diutino morbo captus oculis, qua concionibus, qua sacris Confessionibus audiendis in rectam viam reducere numquam destitit. Demum septuagenarius gravium infirmitatum doloribus eximia patientia toleratis, munitus Ecclesiae Sacramentis, et Psalmis Poenitentialibus recitatis, Leopoli, ipso die festo Sancti Michaelis Archangeli obdormivit in Domino, anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto. Ejus vitae, atque obitus sanctimonia, et miraculorum fama apud Polonos praesertim, et Lithuanos magno semper in bonore fuit. Quare Summus Pontifex Clemens Duodecimus Beati Joannis cultum ratum habuit, ipsumque a Polonis, et Lithuanis inter primarios Patronos electum, ampliori veneratione coli in posterum Apostolica benignitate concessit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 12.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi Episcopi.

De terrenorum cura despicienda. Serm. 23.

HOdie Dominus Evangelici gregis pusilla, et tenera primordia, quam blanda exortatione sit consolatus, audistis. Nolite timere, inquit, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit, et excludit timorem, quando in exordio ipsum regnum nascentibus pollicetur ; quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebejo censu, et vernalis cespitis vilitate suspirat ? De regno certus, de dominatione securus, satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia despicit, ad egena deponit. ℟. Iste est.

Lectio viii.

SEd scire convenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum filiis suis repromittit. Quis sit iste Pater quotidie te confitente cognoscis, cum clamas : Pater noster, qui

es in coelis: qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti: ex nihilo fecit coelum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola praecepti auctoritate conclusit. Verum si regni quod promittit pusillis, desideras noscere qualitatem, ipse aperit sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum coelorum.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Esse in coelo mirum est, in coelum vivere est majestatis: jam regnare coelo quanti sit, sensus desinit aestimare mortalis, et tamen homo, quod aestimare non potes, percepisti, Apostolo sic dicente: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Et quod te mereri dubitas, habere te, et possidere, jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui possidet coelum? Quid illi cum humanis, qui adeptus est jam Divina, nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, et illata mala bonis sunt gratiora collatis.

Te Deum laudamus.

In Laud. fit comm. Octav. S. Bonaventurae.

In ii. Vesp. fit a Capit. de sequenti, cum comm. praeced., Octav., ac S. Margaritae, ut infra.

DIE XX. JUNII.

In festo S. Hieronymi Æmiliani Conf. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, misericordiarum Pater, per merita et intercessionem Beati Hieronymi, quem Orphanis adjutorem, et patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

Deinde fit comm. B. Joannis de Dukla, Octav. S. Bonaventurae, ac S. Margaritae Virg. et Mart. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

HIeronymus, e gente Patritia Æmiliana Venetiis ortus, a prima adolescentia militiae addictus, difficillimis Reipublicae temporibus Castro Novo ad Quarum in montibus Tarvisinis praeficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterrimum carcerem detruditur, manibus, ac pedibus vinctus; cui omni humana ope destituto Beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, et per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Deiparae aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias coe-

pit pietatis studia impensius colere, in pauperes mire effusus; sed puerorum praesertim misertus, qui parentibus orbati, egeni, et sordidi per urbem vagabantur, quos in aedes a se conductos recepit de suo alendos, et christianis moribus imbuendos. ℟. Honestum.

Lectio v.

PEr eos dies Venetias appulerant Beatus Cajetanus, et Joannes Petrus Carafa, postmodum Paulus Quartus; qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphanos probato, illum in Incurabilium Hospitale adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque aegrotis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam Continentem profectus, Brixiae primum, deinde Bergomi, atque Nosocomi Orphanotrophia erexit, Bergomi praesertim, ubi praeter duo, pro pueris unum, et pro puellis alterum, domum excipiendis novo in illis regionibus exemplo, mulieribus a turpi vita ad poenitentiam conversis, aperuit. Somaschae demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetae ditionis fines, sibi, ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea a Somascha nomen factum; quam subinde auctam, et propagatam, nedum Orphanorum regimini, et Ecclesiarum cultui, sed ad majorem Christianae Reipublicae utilitatem, adolescentium in litteris, et bonis moribus institutioni in collegiis, academiis, et seminariis addictam, Sanctus Pius Quintus inter Religiosos Ordines adscripsit, ceterique Pontifices privilegiis ornarunt.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

ORphanis colligendis intentus, Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, et utrobique collectis agminibus puerorum; tectum, victum, vestem, magistros, nobilibus viris faventibus provide constituit. Inde Somascham redux, omnibus omnia factus a nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere praevideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adjutorem in metendis frugibus praebet, mysteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine foeda abstergens, et patienter tractans curabat; putridis rusticorum vulneribus medebatur eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur. In monte, qui Somaschae imminet, reperta specu in illam se abdidit, ubi se flagellis caedens, dies integros jejunus transigens, oratione in plurimam noctem protracta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui, aliorumque noxarum poenas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua, precibus Servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, quae usque in hodiernam diem jugiter manans, et in varias regiones delata, aegris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quae per omnem vallem serpebat, dum aegrotantibus inservit, et vita functos propriis humeris ad sepulturam defert, contracto morbo, annos natus sex et quinquaginta, quam paulo ante praedixerat, pretiosam mortem obiit, anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo: quem

pluribus in vita, et post mortem miraculis illustrem, Benedictus Decimusquartus Beatorum, Clemens vero Decimustertius Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 19.*

IN illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 62. in Matth.

CUr disciPuli pueros abigebant? dignitatis causa. Quid ergo ille? ut doceat illos modeste sapere, fastumque mundanum conculcare, et suscipit, et ulnis complectitur, talibusque Regnum Coelorum pollicetur, id quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus haeredes esse Coelorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiae culmen, simplicem esse cum prudentia. Haec vita est angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit ut amicos ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verberibus caedatur, eam semper quaerit, et omnibus anteponit.

℟. Iste est.

Lectio viii.

Si Reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non praefert eam matri pannis detritis vestitae; malletque illam incultam videre quam Reginam mirifice amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet: et nihil plus requirit, quam necessaria: atque ut lacte repletus est, statim a mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, aerumnis praemitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus laetatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim Regnum Coelorum; ut ex proposito voluntatis illa operemur, quae natura sua pueri faciunt. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Quia enim Pharisaei non aliunde, quam a nequitia, et arrogantia ad agendum ferebantur, ideo ubique Discipulos suos simplices esse jubet, aliosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, et primi consessus. Quoniam igitur Discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos praevenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem a vulgo expetere, vel ante alios sese efferre. Nam etiamsi haec parva videntur esse, at malis ingentibus causam praebens. Sic enim instituti Pharisaei in malorum culmen ascenderunt, salutationes, primos consessus, et medios requirentes: hinc in ardentem gloriae cupiditatem, inde vero in impietatem lapsi sunt.

Te Deum laudamus.

In Laud. fit comm. Octav. S. Bonaventurae, ac S. Margaritae Virg. et Mart.

In ii. Vesperis fit a Capit. de die Octav. S. Bonaventurae cum comm. praeced., et S. Praxedis Virginis, ut in Breviar.

DIE XXI. JULII.

Octava S. Bonaventurae Ep. Conf. et Eccl. Doct. dupl. min. Omnia ut in die Festo praeter sequentia.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Maximi Episcopi.

Homil. 2. de S. Cypriano.

Lectio iv.

IN festivitate Beati Bonaventurae, fratres charissimi, universa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudium coelestis eruditione sermonis instruxit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, contra errores diaboli spiritualis sapientiae plenitudo. Quis non hujus modi virum, quantis valet, praeconiis prosequatur, cujus eloquentia inspirata divinitus, et Ecclesias docuit, et saeculum confutavit.

℟. Lex veritatis.

Lectio v.

HIc est ille evangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo nova, et vetera, qui veteris novique Testamenti unum, atque idipsum, mysterium praedicans, Ecclesias Christi locuple-

tissima disputatione ditavit. Incorruptibilis, atque indefessus illius est hodie thesaurus: qui pecuniam Domini sui nummulariis foenerans, quotidie in corda fidelium coelestium divitiarum, sanctam conquirit usuram.

℟. Vir peritus.

Lectio vi.

QUid igitur, fratres, tanto speciosius viro, cujus haec est regula, et mensura sermonis, ut inter varias hominum causas, motusque diversos, nunc affectione patris, nunc auctoritate doctoris, consoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tantoque denique decore sacerdotium, vitamque suam vir fidelissimus adornavit, ut doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, Dominicam illam sententiam tenens: Qui docuerit, et fecerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. ℟. In diebus suis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

In Cap. 14. Lucae super haec verba.

PEr sal intelligitur perfectus quisque discipulus, qui exemplo, et verbo debet condire corda

aliorum. Unde Matthaeus: Vos estis sal terrae. Quod dicitur, quia discretionem summam debet habere in conversatione, secundum illud: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Quia sicut non potest comedi cibus, nisi sale sit conditus, sic nec stomachus cordis verbum suscipit indiscretum. Quare Job: Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Debet etiam habere sapientiam, unde in Levitico praecipitur, quod in omni sacrificio offeratur sal. Et talis, qui prudens est, et sapiens, recte verbo, et exemplo condimentum est Ecclesiae. Unde Glossa: Sal cibos condit, vermes necat, carnes siccat; sic praedicatio a vermibus vitiorum, et putredine illaesam servat Creatori suo humanam naturam. Sed tunc sal evanescit, quando Christi discipulus efficitur indevotus in cotemp'atione, et indiscretus in actione, et in praedicatione, sicut de illis dicitur: Evanuerunt in cogitationibus, et obscuratum est insipiens cor eorum.

℟. Quasi arcus refulgens.

Lectio viii.

Hoc est maximum periculum; ideo subdit: In quo condietur? Quasi dicat: in nullo. Unde Ecclesiasticus: Quis miserebitur incantatoris a serpente percussi? quasi diceret: Talis prorsus est despectibilis, et inutilis tam coram Deo, quam coram hominibus, tam in actis spiritualibus, quam temporalibus, ideo addit: Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Glossa: Qui per agnitionem veritatis

retrocedit, neque ipse fructum boni operis ferre, neque alios excolere valet, sed ejicietur. Imo quod plus est, reddit terram sterilem; quia vir perfectus cadens, suo malo exemplo alios reddit inutiles ad bonum faciendum.

℟. In medio.

Pro S. Praxede Virg. Lect. ix ut in Brev. hac ipsa die.

DIE XXIV. JULII.

In festo S. Francisci Solani Conf. 1. *Ord. dupl.* 2. *class. Omnia de comm. Conf. non Pont. præter sequentia. In Hymn.* Meruit supremos.

In Vesperis et Laudibus.

℣. Ora pro nobis, Beate Francisce.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

DEus, qui plurimas Americae Gentes per Beatum Franciscum ad sinum Ecclesiae perduxisti, ejus meritis, et precibus indignationem tuam a peccatis nostris averte, et in gentes, quae te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Dominum.

Pro comm. S. Apollinaris, ut in Breviar.

In. 1 *Noct. Lect.* Beatus vir, *de comm. Conf. non Pont.* 2. *loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FRanciscus Solanus, Montiliae Hispaniae Boeticae Oppido, nobili genere natus, ea morum candore dedit innocentiae specimina, ut gratiam,

quam acceperat in Baptismo, constanter ad mortem usque retinuisse putaretur. Adhuc puer manifestis indiciis Apostolico muneri, quod erat postea suscepturus, praelusit. Adolescens in Ordinem Fratrum Minorum Observantium cooptatus, miris, multisque summae austeritatis, humilitatis, ac ceterarum virtutum exemplis oculos omnium ad se traxit. In sacris concionibus ardentissima ipsius charitas maxime enituit, qua plurimos Christo lucrifecit: tum maxime cum pestilentia per Boeticam saeviente, nihil periculo territus, ad corpora simul, animasque curandas se totum convertit. Etsi vero et ipse lue mortali fuisset demum implicitus; tamen Dei manu e periculo ereptus, alacrius in pristino ministerio persistit, dum omnino morbus extingueretur. Puerum quoque, foedis ulceribus toto corpore tactum, eadem labendo, sanitati restituit. Exinde magnum esse coepit in Boetica Solani nomen, ut Sanctus passim appellaretur. Quamobrem ille, hominum laudes aversatus, Superiores oravit, ut se in Africam mitterent ad Catholicam fidem praedicandam, pro qua etiam vitam profundere peroptabat.

℟. Honestum.

Lectio v.

MIssione Africana non impetrata, Americanam obtinuit; magnisque periculis, et laboribus, divina opitulante gratia, terra, marique perfunctus, ad Thecumanas regiones, paratam sibi a Domino vineam, laetus accessit. Illuc appulsus, difficillima earum gentium lingua divinitus instructus apparuit. Cumque, Dei amore, et pro-

ximorum exaestuans, sermones haberet suavissimos, consecutus est, ut Barbari, posita feritate, ad eum ultro erudiendi certatim accurrerent, quos multitudine innumerabiles sacro fonte regeneravit. In urbe Rioxa multa millia infidelium in Christianos cives armata manu irruentium, verbo Dei exarmavit, ferosque homines diversae, ac sibi ignotae linguae uno idiomate allocutus, non modo pacem suasit, sed ex ipsis novem plus millia ad Christum convertit. Christianos e vitiorum coeno in viam salutis traduxit: praesertim cum post annos quatuordecim Limam missus, Peruani Regni principem civitatem, extrema supplicia, urbisque cladem, velut alter Jonas interminatus, pervicit, ut omnes anteactae vitae poeniteret. Saepe in concione cum copiose de Deo, ejusque Virgine Matre locutus esset, in extasim rapiebatur. Aliquando vero de Domini cruciatibus verba facturus, voce lacrymis interclusa, audientium fletus, gemitusque eliciebat.
℟. Amavit.

Lectio vii.

SErvi sui sanctitatem, multitudine, et excellentia miraculorum, Dominus confirmavit. Aliquot mortui Solani precibus revixerunt: e terra arida fontes excitati; qui sunt adhuc perennes, et salutares: trajecta flumina pallio super undas instrato: belluarum ferocia ita compressa, ut ejus nutibus obtemperarent: locustae tritici segetem populantes, in montes ab eo indicatos ire coactae, aliaque prodigia ipsius meritis patrata sunt. Prophetiae pariter, et penetrationis cordium donis claruit. Suis precibus obtinuit, ut

terra violentis quassata motibus quiesceret, et Limenses ipsius opera ad poenitentiam revocati, a periculo, et formidine liberarentur. Summis tandem laboribus pro Dei gloria amplificanda confectus, vir voluntate Martyr, ad justitiae coronam evolavit, aetatis anno secundo et sexagesimo, Christi millesimo sexcentesimo decimo, festo ipso die Sancti Doctoris Bonaventurae, quem eximia pietate semper coluerat. Demortui color, antea subniger, est in album mutatus, vultusque species venusta confestim apparuit, et suavis odor e corpore coepit erumpere. Ejus sanctitatem miracula comprobarunt, quibus rite cognitis, Clemens Decimus hunc novi orbis Thaumaturgum Beatis adscripsit. Eumdem postea novis coruscantem miraculis, Benedictus Decimustertius anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto, in Sanctorum numerum retulit. ℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Euntes in mundum universum, *ut in festo S. Francisci Xaveri die* 3. *Decembris iv. Lectio de Homil. Vigiliae S. Jacobi Apostoli in Evang.* Hoc est praeceptum meum, *ut in Vigil. Apostol. Et in Laude fit comm. de eadem Vigilia. Deinde S. Christianae Virg. et Mart. ut in Breviar.*

DIE XXX. JULII.

In festo S. Camilli de Lellis Conf. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singu-

lari charitatis praerogativa decorasti: ejus, quaesumus, meritis Spiritum nobis tuae dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum. in unitate ejusdem.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAmillus Bucclanici Theatinae Dioecesis Oppido ex nobili Lelliorum familia natus est Matre sexagenaria, cui gravidae visum est per quietem, puerulum Crucis signo in pectore munitum, et agmini puerorum idem signum gestantium praeeuntem se peperisse. Adolescens rem militarem sequutus, saeculi vitiis aliquamdiu indulsit, donec vigesimum quintum agens aetatis annum tanto supernae gratiae lumine, divinaeque offensae dolore correptus fuit; ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, anteactae vitae sordes indesinenter abstergere, novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis Beatissimae Virginis festo die ad Fratres Minores, quos Capuccinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur summis precibus exoravit. Voti compos semel, atque iterum factus est: sed foedo ulcere, quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iterato recrudescente, Divinae Providentiae, majore de eo disponentis, consilio humiliter se subjecit, suique victor, illius Religionis bis expetitum, et susceptum habitum bis dimisit. ℟. Honestum.

Lectio v.

Romam profectus, in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est: cujus etiam administrationem, ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate, ac solicitudine vere paterna peregit. Omnium aegrotorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus, et cohortationibus opem ferre solemne habuit: quibus in muneribus praeclara praebuit admirabilis patientiae, invictae fortitudinis, et heroicae charitatis exempla. Verum cum animarum in extremis periclitantium, quod unice intendebat, levamini, subsidium litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus in primis grammaticae elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea rite initiatus, nonnullis sibi adjunctis Sociis, prima jecit Congregationis Clericorum Regularium infirmis ministrantium fundamenta, irrito conatu obnitente humani generis hoste. Nam Camillus coelesti voce e Christi Crucifixi, manus etiam de ligno avulsas, admirando prodigio protendentis, Simulacro emissa mirabiliter confirmatus, Ordinem suum a Sede Apostolica approbari obtinuit; Sodalibus quarto obstrictis maxime arduo voto, infirmis, quos etiam pestis infecerit, ministrandi. Quod Institutum, quam foret Deo acceptum, et animarum saluti proficuum, Sanctus Philippus Nerius, qui Camillo a sacris Confessionibus erat, comprobavit: dum ejus alumnis, decedentium agoni opem ferentibus, Angelos sug-

gerentes verba, saepius se vidisse testatus est. ℟. Amavit eum.

Lectio ii.

ARetioribus hisce vinculis aegrotantium ministerio mancipatus, mirum est, qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitae periculis, diu noctuque ad supremum usque spiritum eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quaeque officia demisissimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret, in infirmis, hilari promptoque animo arripiebat; utque omnium indigentiis praesto esset, Generalem Ordinis Praefecturam, coelique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, sponte dimisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum et Urbs contagioso morbo primum, deinde extrema annonae laboraret inopia, et Nolae in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum, et proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, et Angelorum opem in vario itinerum discrimine experiri promereretur. Prophetiae dono, et gratia sanitatum praeditus, arcana quoque cordium inspexit: ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejuniis, et assiduis attritus laboribus, cum pelle tantum, et ossibus constare videretur, quinque molestias aeque ac diutinis morbis, quos Misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, Sacramentis munitus, Romae inter suavissima Jesu, et Mariae nomina, ab ea verba, Mitis atque festivus

Christi Jesu sibi aspectus appareat ; qua praedixerat hora , obdormivit in Domino pridie Idus Julii, anno saluti s millesimo sexcentesimo decimo quarto , aetatis suae sexagesimo quinto , quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Decimusquartus solemni ritu Sanctorum fastis adscripsit. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. *Cap.* 15.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Hoc est praeceptum meum , ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Tract. 83. *in Joann. Evang.*

Quid putamus , Fratres mei , numquidnam solum ejus de ista dilectione mandatum est , qua diligimus invicem ? Nonne est , et aliud majus , ut diligamus Deum ? Aut vero de sola Deus nobis dilectione mandavit , ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apostolus , dicens : Manent autem Fides , Spes , Charitas , tria haec; major autem horum Charitas. Et si in Charitate, hoc est in dilectione, concluduntur duo illa praecepta, major tamen dicta est esse, non sola. De Fide igitur nobis , quam multa mandata sunt , quam multa de Spe ? Quis potest cuncta colligere , quis enumerando sufficere? Sed intueamur, quod ait idem Apostolus : Plenitudo legis Charitas. ℟. Iste est.

Lectio viii.

UBi ergo Charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Daemon credit, nec diligit, nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit: nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessario Fides, et Spes: et ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tamquam seipsum? Quandoquidem non diligit et seipsum, est quippe impius, et iniquus: qui autem diligit iniquitatem non plane diligit sed odit animam suam.

℟. Sint lumbi.

Lectio ix. pro Ss. Mm. Abdon, et Sennen, ut in Breviar.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

Festum Consecrationis Ecclesiae S. Mariae Angelorum. Dupl. maj. Omnia de comm. Dedicationis Ecclesiae praeter sequentia, cum comm. S. Petri etc., ut in Breviar.

In primo Nocturno.

De Libro tertio Regum.

Lectio i. *Cap.* 8. *v.* 28. *et seq.*

DOmine Deus meus, audi hymnum, et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie, ut

sint oculi tui aperti super domum hanc nocte, ac die: super domum, de qua dixisti: erat nomen meum ibi ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus, ut exaudies deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto et exaudies in loco habitaculi tui in coelo, et cum exaudieris, propitius eris. Si peccaverit homo in proximum suum, et habuerit aliquod juramentum quo teneatur adstrictus, et venerit propter juramentum coram Altari tuo in domum tuam, tu exaudies in coelo, et facies, et judicabis servos tuos, condemnans impium, et reddens viam suam super caput ejus, justificansque justum, et retribuens ei secundum justitiam suam. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi); et agentes poenitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac, exaudi in coelo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. ℟. In dedicatione templi.

Lectio ii.

Si clausum fuerit coelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto poenitentiam egerit nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam, exaudi eos in coelo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel, et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut aerugo, aut locusta, vel rubigo, et afflixerit eum i-

nimicus ejus portas obsidens ; omnis plaga, universa infirmitas , cuncta devoratio , et imprecatio , quae acciderit omni homini de populo tuo Israel , si quis cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo in loco habitationis tuae , et repropitiaberis, et facies , ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti , solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus , quibus vivunt super faciem terrae. ℟. Fundata est.

Lectio iii.

INsuper et alienigena , qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis , et brachium tuum extentum ubique); cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco : tu exaudies in coelo in firmamento habitaculi tui , et facies omnia pro quibus invocaverit , te alienigena , ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere , sicut populus tuus Israel , et probent , quia nomen tuum invocatum est super domum hanc , quam aedificavi. Quod si peccaverint tibi (non est enim homo, qui non peccet) et egerint poenitentiam in corde suo, et conversi deprecati te fuerint , dicentes: peccavimus , inique egimus, impie gessimus: et reversi fuerint ad te in universo corde suo , et tota anima sua , exaudies in coelo, in firmamento solii tui , orationes eorum et preces eorum, et facies judicium eorum : et propitiaberis populo tuo , qui peccavit tibi , et

omnibus iniquitatibus eorum, quibus praevaricati sunt in te; populus enim tuus est, et haereditas tua: ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, et populi tui Israel, et exaudies eos in universis, pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi, in haereditatem de universis populis terrae, Domine Deus.

℟. Benedic Domine.

In secundo Nocturno Lect. ut in Breviar.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 19.

In illo tempore: Ingressus Jesus perambulabat Jericho. Et ecce vir nomine Zachaeus: et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

Exposit. in Cap. 19. *Luc.* 1.

Per ingressum Christi in domum Zachaei principis publicanorum intelligitur ejus ingressus in Ecclesiam gentium, a qua libenter susceptus est. Ideo Christus dixit Zachaeo, ut descenderet ad humilitatem, quia opportunum erat, quod in domo ejus maneret, Synagoga deserente fidem. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes. Et nota, quod domus, in qua Christus opportune manet, est septiformis. Prima scilicet est domus habitationis materialis, in qua manet

in persona pauperis : Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam. Secunda est domus Basilicae materialis, in qua manet in Sacramento Altaris : Domus mea, domus orationis vocabitur : et introibo in domum tuam. ℟. Domus mea.

Lectio viii.

TErtia est domus Ecclesiae militantis, in qua manet in membris suis. Haec tibi scribo, fili, ut scias quomodo oporteat in domo conversari; quae est Ecclesia Dei vivi. Quarta est domus Uteri Virginalis, in qua manet per praesentiam carnis : Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Quinta est domus conscientiae mundae, in qua manet spiritus sanctitatis: Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non habet amaritudinem conversatio illius. Et iterum : Praecurre prior in domum tuam, et illuc avocare, et illuc lude, et age conceptiones tuas. Sexta domus est Scripturae Sacrae, in qua manet in lumine veritatis : Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam, et : Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. ℟. Lapides pretiosi.

Pro S. Stephano Papa Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

In Ecclesia S. Mariae Angelorum, et alibi.

Lectio ix.

SEptima domus est Jerusalem superna, in qua manet in gaudio felicitatis : In domo Patris mei mansiones multae sunt. Et iterum : Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domi-

ni ibimus. Quoniam ergo his septem modis suscipitur Christus in Ecclesia gentium, quae designatur per Zachaeum, ideo hoc Evangelium legitur in Dedicationibus Ecclesiarum, quae designant domos spirituales, de quibus dicitur: Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi superaedificamini domus spirituales, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.

Te Deum laudamus.

DIE IX. AUGUSTI.

In festo S. Vincentii a Paulo Conf. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae hic sequuntur. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui ad evangelizandum pauperibus, et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, Beatum Vincentium Apostolica virtute roborasti: praesta, quaesumus, ut cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VIncentius a Paulo natione Gallus, Podii non procul ab aquis Tarbellis in Aquitania natus, jam tum a puero eximiam in pauperes charitatem prae se tulit. A custodia paterni gregis ad litteras evocatus, humanas Aquis, Divinas cum Tolosae, tum Caesaraugustae didicit. Sacerdo-

tio initiatus, ac Theologiae laurea insignitus, in Turcas incidit, qui captivum in Africam abduxerunt. Sed in captivitate positus, herum ipsum Christo rursus lucrifecit. Cum eo igitur ex barbaris oris, opitulante Deipara sese proripiens, ad Apostolica limina iter instituit. Unde in Galliam reversus Clippliaci primum, mox Castellionis Paroecias sanctissime rexit. Renuntiatus a Rege primarius Sacrorum Minister in Galliae triremibus, mirum quo zelo, et ducum, et remigum saluti operam posuerit. Monialibus Visitationis a Sancto Francisco Salesio praepositus, tanta prudentia per annos circiter quadraginta eam curam sustinuit, ut maxime comprobaverit judicium Sanctissimi Praesulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse fatebatur. ℟. Honestum.

Lectio v.

Evangelizandis pauperibus, praesertim ruriculis, ad decrepitam usque aetatem indefessus incubuit, eique Apostolico operi tum se, tum Alumnos Congregationis quam sub nomine Presbyterorum Saecularium Missionis instituit, perpetuo voto a Sancta Sede confirmato speciatim obstrinxit. Quantum autem augendae Cleri disciplinae allaboraverit, testantur erecta majorum Clericorum Seminaria: Collationum de divinis inter Sacerdotes frequentia: et sacrae Ordinationi praemittenda exercitia; ad quae, sicut et ad pios laicorum secessus, Instituti sui domicilia libenter patere voluit. Insuper ad amplificandam fidem, et pietatem, evangelicos misit operarios, non in solas Galliae provincias, sed

et in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hiberniam, atque ad Barbaros, et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovico Decimotertio, cui morienti hortator adstitit, a Regina Anna Austriaca Matre Ludovici Decimi quarti in Sanctius Consilium accitus, studiosissime egit, et nonnisi digniores Ecclesiis, ac Monasteriis praeficerentur, civiles discordiae, singularia certamina, serpentes errores, quos simul sensit, et exhorruit, amputarentur, debitaque judiciis Apostolicis obedientia praestaretur ab omnibus.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

Nullum fuit calamitatis genus, cui paterne non occurrerit. Fideles sub Turcarum jugo gementes: infantes expositos: juvenes dysculos: virgines periclitantes: moniales dispersas: mulieres lapsas: ad triremes damnatos: peregrinos infirmos: artifices invalidos: ipsosque mente captos, ac innumeros mendicos subsidiis, et hospitiis, etiamnum superstitibus, excepit, ac pie fovit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, aliasque Regiones peste, fame, belloque vastatas, prolixe refecit. Plurima ad perquirendos, et sublevandos, miseros Sodalitia fundavit: inter quae celebris Matronarum coetus, et late diffusa sub nomine Charitatis Puellarum Societas. Puellas quoque tum de Cruce, tum de Providentia, ac Sanctae Genovefae ad sequioris sexus educationem erigendas curavit. Haec inter et alia gravissima negotia Deo jugiter intentus, cunctis affabilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, humilis, ab honoribus, divitiis, ac de-

liciis semper abhorruit : auditus dicere , rem nullam sibi placere, praeterquam in Christo Jesu, quem in omnibus studebat imitari ; Corporis demum afflictatione, laboribus , senioque attritus die vigesima septima Septembris , anno salutis, supra millesimo sexcentesimo sexagesimo, aetatis suae octogesimo quinto, Parisiis in domo Sancti Lazari , quae caput est Congregationis Missionis , placide obdormivit: quem virtutibus, meritis , ac miraculis clarum Clemens Duodecimus inter Sanctos retulit , ipsius celebritati die decima nona mensis Julii quotannis assignata.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Hom. in Ev.* Designavit Dominus.

DIE XI. AUGUSTI.

Octava S. Dominici Conf. dupl. min. Omnia ut in Festo praeter sequentia.

In primis Vesperis et Laudibus fit comm. Ss. Tiburtii , et Susannae Mart. ut in Breviar.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermo 2. *de S. Victore.*

Lectio iv.

GAudete in Domino , dilectissimi , qui inter continua suae pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo , ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est , ut esset

exemplo, in Coelum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, et supplicantis affectum, et supplicationis fructum. Quid enim quaerat sibi, qui nullius eget? ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

HÆc dies gloriosae migrationis ejus, dies laetitiae cordis ejus: exultemus, et laetemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Dominicus posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodie, despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriae. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sed et veteranus miles, debita jam suavitate, et securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem, quam pari studio, etsi dispari voluntate, et mali fugitant, et frequentant boni. Nec facile dixerim, quid virum astruat, sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

O Miles emerite, qui Christianae militiae duris laboribus Angelicae felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles, et imbecilles com-

militones tuos, qui inter hostiles gladios, et spirituales nequitias tuis laudibus occupamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Dominice, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, et memoriale tuum, favus distillans in labiis captivorum, mel, et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo, fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis: ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 13.

IN illo tempore: dixit Jesus discipulis suis, Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Fulgentii Episcopi.
Ex Sermone de Confess.

SI istum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritualis possumus invenire. Quid enim proficit ad animae salutem, si quis corporaliter aut lumbos praecingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis vero fides, et charitas Christiana monstratur. Jubens igitur Dominus, lumbos nostros praecingi, concupiscentias carnis sine dubio praecipit refraenari. Imperans autem, ut lucernas ar-

dentes habeamus, hoc utique jubet, ut et lumine verae fidei splendeamus; et sanctae charitatis operibus ferveamus. ℟. Iste est.

Lectio viii.

Ista, quae de Evangelio proposuimus, cum propheticis sermonibus conferamus. Utrumque enim Testamentum Deus instituit, unus Dominus dedit: etsi sunt utriusque Testamenti diversa pro temporibus sacramenta, concordat tamen in utroque salutis humanae sententia, qua praecipitur, ut non peccemus, et jubetur, ut bonis operibus insistamus. Per Isaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite perverse agere, discite benefacere. Quid est enim: Sint lumbi vestri praecincti, nisi quiescite agere perverse? quid est: Sint lucernae ardentes, nisi discite benefacere? ℟. Sint lumbi.

Pro Ss. Mart. Tiburtio, et Susannae Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XII. AUGUSTI.

In festo S. Clarae Virg. omnium Clarissarum Institutricis Dupl. 1. class. cum Octava.

Ad Vesperas.

Antiph. Jam Sanctae Clarae claritas splendore mundi cardines mirifice complevit: cujus perfecta sanctitas in devotas propagines velocius excrevit.

Psal. Dixit Dominus, *cum reliq. de comm. Virg.*

Antiph. Mundi totius gloriam, ut Christum lucrifaceret, vile quid arbitrata; instabilem laeti-

tiam ne infinitam perderet, semper est aspernata.

Antiph. Haec in paternis laribus puella sacris moribus agebat coelibatum, quam praedocebat unctio, sine magistro medio cor Christo dare gratum.

Antiph. Sacra spirat infantia magni Regis connubia virtute promereri: moxque Francisci studia sectatur, et in gratia conatur exerceri.

Antiph. Hanc et Papa Gregorius fovit, et Innocentius Patrum more piorum; quam Alexander inclytus adscripsit motus coelitus, catalogo Sanctorum.

Capitulum. 2. Cor. 10.

FRatres, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Hymnus.

COncinat plebs fidelium
Virginale praeconium,
Matris Christi vestigium,
Et novitatis gaudium.
Pauperum primogenita,
Dono coelesti praedita,
Obtinet supra merita
Praemia vitae reddita.
Novum sidus emicuit,
Candor lucis apparuit:
Nam lux, quae lucem influit,
Claram clarere voluit.
Claris ortà natalibus,
Necdum relictis omnibus,

Vacat plenis affectibus,
Pietatis operibus.
Sub paupertatis regula,
Patris Francisci ferula,
Clara Christi discipula
Luce respersit saecula.
Mundus, et caro vincitur,
Matri Christi connectitur;
Christo prorsus innititur,
Pauperem pauper sequitur.
Spretis nativo genere,
Carnis, et Mundi foedere,
Clauditur velut carcere,
Dives superno munere.
Clauditur velut tumulo,
Nequam subducta saeculo:
Patet in hoc ergastulo
Solum Dei spectaculo.
Tegmina carnis vilia,
Urgens famis inedia,
Arcta quoque jejunia
Praestant orandi spatia.
Virginis hujus merito,
Laus Patri sit ingenito,
Gloria Unigenito,
Virtus summa Paraclito. Amen.

℣. Ora pro nobis Beata Clara,
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. Duce coelesti numine, Matre favente virgine, Clara re, Clara nomine, spreto paterno limine, spreto nativo sanguine, est in Sanctorum lumine, ac Beatorum agmine, exuta carnis tegmine.

Oratio.

FAmulos tuos, quaesumus Domine, Beatae virginis tuae Clarae votiva natalitia recensentes; coelestium gaudiorum sua facias interventione participes, et tui Unigeniti cohaeredes. Qui tecum vivit et regnat.

Ad Matutinum.

Invitat. Regi, qui carnem induit, sit laus cordis, et oris: * Cujus in Clara claruit perfecti vis amoris.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

GEnerat virgo filias
Gentis maternae conscias,
Christi sponsas, et socias,
Corruptionis inscias.
Clarum nomen effunditur,
Sanctum nomen extenditur.
Facto doctrina proditur,
Virtus divina panditur.
Construuntur coenobia
Vasti per orbis spatia,
Crescit Sororum copia,
Claret matris notitia.
Deficit virtus corporis
Morbo prolixi temporis,
Sumit augmentum roboris.
Virtus sacrati pectoris.
Tandem languore premitur,
Laeta nimis egreditur,

Dies extrema clauditur,
Spiritus coelo redditur.
Te prosequentes laudibus
Piis faveto precibus,
Adesto postulantibus
Tuis virgo supplicibus.
Virginis hujus merito
Laus Patris sit ingenito,
Gloria Unigenito,
Virtus summa Paraclito. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Haec una de prudentibus praefulsit virgo prudens, in annis puellaribus Christo placere studens.

Psal. Domine, Dominus noster, *cum de reliquis de comm. Virg.*

Antiph. Excelsi servus virginem Franciscus incitavit, amare Deum hominem, quem amor humanavit.

Psal. Coeli enarrant gloriam Dei.

Antiph. Cuncta pro Christi nomine contemnens, crine tonso, coram Altari Dominae nubit aeterno sponso.

Psal. Domini est terra, et plenitudo ejus.

℣. Specie tua. ℟. Intende.

De Epistola I. Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lect. i. Cap.7. De Virginibus, *ut in comm. Virg.*

℟. *i.* Francisci pia plantula mire fructificavit in orbe, cum discipula Clara, quam informavit:* Castitatis per saecula cultum multiplicavit.

℣. Virgo sub sacra regula: multarum jam praeambula, se Deo consecravit. Castitatis.

℟. *ii.* In via poenitentiae glebas terit membro-

rum, semen serit justitiae, lucem diffundit morum: * Lucratur sic quotidie thesauros meritorum.

℣. Cujus ferventes hodie gressus devotae filiae sequuntur exemplorum. Lucratur.

℟. *iii.* Haec paupertatis titulo gaudens, Deo dicata, post Christum sine sacculo, currit exonerata: * Relicto foris saeculo, mens intus est ditata.

℣. In paupertatis nidulo; nostri praesepis parvulo pauperi conformata. Relicto. Gloria Patri. Relicto.

In secundo Nocturno.

Antiph. Oblata per Gregorium refutat possidere: nihilque transitorium cum Christo vult habere.

Psal. Eructavit cor meum verbum bonum.

Antiph. Parat magistra vasculum, et oleum quaeratur: mox vero per miraculum vas plenum de coelo datur.

Psal. Deus noster refugium, et virtus.

Antiph. Hortatur haec, ut pauperis matris natae, nequaquam sint degeneres a matris paupertate.

Psal. Magnus Dominus, et laudabilis nimis.

℣. Adjuvabit eam. ℟. Deus in medio ejus.

Lect. ut in Breviar.

℟. *iv.* A civibus obsidio removetur ob lacrymas, et preces Sanctae Clarae: * Dum cinere, et cilicio jubet Sorores optimas ad Deum exclamare.

℣. Orationum praelio, meretur Gentes pessimas de claustro deturbare. Dum cinere.

℟. v. Amica crucis plangere Crucifixum novitias docet, quem ipsa plangit: * Crux ei digno pondere majores dat delicias, quo major dolor angit.

℣. Haec Christi sui munere, morbos atque molestias fugat, dum crucem tangit. Crux ei.

℟. vi. Vivens in mundo labili, sponso conjuncta nobili, sursum deliciatur, clausaque carne fragili, tamquam in vase fictili, * Thesauro gloriatur.

℣. Haec in rota versatili, fulta virtute stabili, cum Christo delectatur. Thesauro. Gloria Patri. Thesauro.

In tertio Nocturno.

Antiph. Cor verbis sapientiae medullitus apponit, cum Praedicator gratiae verba vitae proponit.

Psal. Cantate Domino canticum novum. 1.

Antiph. Trahit de testa nucleum, de littera saporem, de petra sugens oleum, de spina legens florem.

Psal. Dominus regnavit, exultet terra.

Antiph. Format Clara discipulas coelesti disciplina: cujus est ad juvenculas convictus pro doctrina.

Psal. Cantate Domino canticum novum. 2.

℣. Elegit eam Deus. ℟. In tabernaculo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum coelorum

decem Virginibus, quaè accipientes lampadas suas, exierunt obviam sponso, et sponsae. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 23. *de Verbis Domini.*

QUae sint decem Virgines, quarum sint quinque prudentes, et quinque stultae, non facile indagari potest. Verumtamen secundum ea, quae continet ipsa lectio, quam charitati vestrae hodie volui recitare, quantum mihi Dominus intellectum donare dignatur, non mihi videtur ista parabola, vel similitudo, ad eas solas pertinere, quae propria, et excellentiori sanctitate Virgines in Ecclesia nominantur, quas etiam usitatiore vocabulo Sanctimoniales appellare consuevimus; sed nisi fallor, haec similitudo ad universam Ecclesiam pertinet. Quamvis etsi illas solas intelligeremus, quae Sanctimoniales vocantur, numquid decem sunt? Absit, ut tanta virginum multitudo ad tam exiguum numerum revocetur.

℟. Carnis templo soluto, spiritus coelos scandit, et patet aditus: * Benedictus sit talis exitus, multo magis talis introitus.

℣. Vivo pani, morte juncta, vita vivit, vita functa. Benedictus.

Lectio viii.

INtelligamus ergo, charissimi, et ad omnes nos, idest, ad universam omnino Ecclesiam pertinere istam parabolam, non ad solos praepositos, nec ad solas plebes; sed prorsus ad omnes. Quare ergo quinque, et quinque virgines? Istae quin-

que, et quinque virgines, omnes omnino sunt animae Christianorum. Sed ut dicamus vobis quod Deo inspirante sentimus, non qualescumque animae, sed tales animae, quae habent Catholicam fidem, et habere videntur bona opera in Ecclesia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, et quinque fatuae. Quare ergo appellatae sunt quinque, et quare virgines, prius videamus. Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu, propter ipsam integritatem virginis nomen accepit.

℟. De pane pascit unico turbam Sororum pauperum: claret signo mirifico, virtus signorum veterum: * Dum cibat ex tam modico magni conventus numerum.

℣. Pro tenui viatico, mensa laetatur Superum: regno beatur coelico pro vilitate cinerum. Dum cibat. Gloria Patri. Dum cibat.

Lectio ix.

SI ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accepit; et opera bona laudabilia sunt, quae significantur lampadibus: quare quinque admittuntur, et quinque repelluntur? Ipsas virgines, et ferentes lampades, alias dixit prudentes, alias stultas. Unde intuemur? Unde discernimus? De oleo. Aliquid magnum significat oleum, et valde magnum. Putas, non charitas est? Quaerendo dicimus, non sententiam praecipitamus. Unde mihi videatur oleo charitas

significata, dicam vobis. Apostolus dicit: Adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro: Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum aeramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, idest charitas, quae merito oleo significatur. Omnibus enim humoribus oleum supereminet: charitas nunquam cadit.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Post vitae clarae terminum, Clara cum turba virginum ad coelos evolavit: suum complexa Dominum, regnat in regno luminum, quo Dominus regnavit.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

Antiph. Agnes ad Agni nuptias, et aeternas delicias, post Claram evocatur: ubi per Sion filias, post transitas miserias, aeterne jubilatur.

Antiph. Sicut sorore praevia Christi passi vestigia sectatur, gaudens cruce: sic, dum haec signis rutilat, Agnes post ipsam vigilat, Deus, Deus meus ad te de luce.

Antiph. Honorat Christi dextera, per sanitatum munera, virginis mausoleum: sanat morbos, et vulnera, ut benedicant opera, quae fecit Deus, Deum.

Antiph. Laudans laudare studeat: in laudem semper prodeat plebs ista Salvatoris: quam tanta ditat sanctitas, non cesset ipsa civitas a laude Conditoris.

Capitulum. Fratres, Qui gloriatur, *ut supra.*

Hymnus.

O Clara luce clarior,
Lucis aeternae filia,
Dies ista solemnior
Tua colit solemnia.
Vitae labentis gaudia
Spernendo, Christum sequeris
Pascentem inter lilia;
Tuque cum Christo pasceris.
Custos sacrarum Virginum,
Omni virtute praevia,
Ducis ad sponsum Dominum
Puellarum Collegia.
Francisco duce, fortiter
Evincis trina praelia:
Dum carnem vincis jugiter,
Mundum, atque daemonia.
Jam nunc in regno luminum
Patri conregnans filia:
Da, te sequentum agminum
Recta fore vestigia.
Sit Patri, Nato, Flamini
Decus, honor, et gloria:
Nosque commendent Numini
Sancta Clarae suffragia. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beata Clara.
℟. Ut digni, etc.

Ad Benedictus.

Antiph. Novum sidus emicuit, candor lucis apparuit, lux claritatis adfuit, coeli splendor enituit: nam lux quae lucem influit, Claram clarere voluit.

Oratio. Famulos tuos, *ut supra.*

Per Horas Antiph. de Laudibus, Capitul. et ℟℟. *brev. de comm. Virg.*

In secundis Vesperis. Antiph. Post vitae, Clarae terminum, *cum reliquis de Laudibus.*

Psal. Capit. Hymn. et ℣. *ut in primis Vesp.*

Ad Magnificat.

Antiph. Salve sponsa Dei, virgo sacra planta Minorum : Tu vas munditiae, tu praevia forma Sororum, Clara, tuis precibus, duc nos ad regna polorum.

Oratio. Famulos tuos, *ut supra.*

Et fit comm. seq. tant.

DIE XIII. AUGUSTI.

In festo B. Petri a Molleano Conf. 1. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn.* Meruit supremos, *de eod. com.*

Oratio.

DEus charitatis amator, et auctor pacis, qui Beatum Petrum Confessorem tuum, admirabili studio fovendae concordiae decorasti; praesta, quaesumus, ut ejus intercedentibus meritis, perpetuae pacis gaudiis perfruamur. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus, ex honestis Parentibus Molleani in Piceno natus, domi, forisque a puero coluit stu-

dia litterarum, et praesertim Juris, cuius laurea Perusiae decoratus est. Adolescens adhuc Perusiae cum sacris concionibus interesset, de regulari Instituto Sancti Francisci amplectendo, consilium coepit. Religioso itaque habitu suscepto, adeo theologicis studiis, et omni virtutum genere floruit, ut fama ejus doctrinae, et sanctitati longe lateque percrebesceret. ℟. Honestum.

Lectio v.

HInc a Sancto Jacobo Piceno in Apostolicae praedicationis, atque laborum socium, et adjutorem adscitus, et deinde in tanti viri locum suffectus, incredibile dictu est, quo ardore, qua charitate enituerit, tum in excitandis populis ad poenitentiam, et ad reformandos mores juxta christianae legis sanctitatem, tum in excipiendis diu noctuque poenitentium confessionibus, tum denique in dissidiis, simultatibus, odiis componendis, et pace inter omnes concilianda. Quandoquidem, nedum opere, et sermone, sed signis etiam, et miraculis praestitit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

ADeo suis acceptus et charus fuit, ut semel Romanam, bis Picenam Provinciam invitus, ea, qua par erat, sedulitate, prudentia, charitate administraverit. Nec minus Camertum Duci, et universae illius Civitati se virtutibus commendavit. Nam ea in urbe et saepius moram traxit; et beato fine quievit. Morti proximus, Sacrum Viaticum non in cubiculo, sed in Ecclesia sum-

psit, ea religione, ut omnium animi ad pietatem incenderentur. Mox Camertum Principem, ejusque filios ad divinae legis, Fratres vero suos cohortatus ad Regularis Instituti observantiam, sanctissime obiit anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo. Eum tandem miraculorum fama, et Ecclesiastico solemni cultu ab immemorabili tempore illustrem, Clemens Papa Tertiusdecimus, inter Beatos cum Christo regnantes, habendum, colendumque decrevit.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Sint lumbi vestri, *ut in eod. comm.* 1. *loc. ix. Lect. pro Ss. Mart. Hippolito, et Cassiano, ut in Brev. hac ipsa die.*

DIE XIV. AUGUSTI.

In Festo B. Sanctes Conf. 1. *Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*

Oratio.

SAlutis nostrae auctor, omnipotens Deus, qui Beatum Sanctem Confessorem tuum admirabili providentia a saeculi periculis ereptum in tui sequelam venire fecisti: da nobis, quaesumus; ut ejus precibus, et meritis, in tuo sancto servitio ferventes, ab omnibus inimicorum nostrorum liberemur insidiis. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SAnctes, parentibus familiae splendore, ac morum pietate claris, in Monte Fabrorum Urbinatensis Dioecesis Oppido in Piceno natus, pueritia innocenter transacta, adolescens Urbinum mittitur, ubi severioribus studiis excolendis adeo profecit, ut coevos longe praestaret. Domum reversus singulari Dei providentia ad Claustra vocatur. Accidit namque, ut hominis in eum stricto ense irruentis, et domum usque persequentis, cum animum verbis demulcere non valeret, vimque vi repellere cogeretur, ne propriam vitam proderet, Sanctes aggressoris femur invitus confoderit. Sed tanto hujus eventus moerore captus est, ut facti poenitens, quod continuo mente versabat, jugibus lacrymis, ac asperioris vitae genere expiare studuerit; quod ut liberius perficeret, abjectis, quae mundi sunt, inter Conversos Ordinis Minorum recipi humiliter postulavit. ℟. Honestum.

Lectio v.

VOti compos factus, ac tyrocinium ingressus, Instituti adeo rigidus custos visus est, ut solemni emissa Professione, Novitiis Laicis instituendis aliquot annos praepositus fuerit. Munus hoc exemplo melius, quam verbis perfecte implevit; verum subesse potius cupiens, quam praeesse, munere illo abdicato, humilioribus, operosisque Coenobii officiis quoad vixit, totus incubuit,

Inter haec fervens erat orationis, ac contemplationis studium acerrima per crebra, rigidaque jejunia, cruentas flagellationes, ac vigilias sui corporis maceratio. In Deiparam singulari ferebatur amore; Christi patientis dolores assiduo recolebat affectu. Et erat ipsius fides in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ut coram eo orans quandoque a sensibus rapi, sacrumque Mysterium ad Altare oblatum, longe ab eo distans, conspicere, ac adorare meruit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Repetitis precibus, protractisque jejuniis a Deo obtinuit, ut aperto ulcere in ea sui corporis parte; qua concivem sauciaverat, ad reliquum vitae cursum eosdem experiretur dolores, quos ille fuerat perpessus. Supernis charismatibus auctus, ac meritis plenus, decurrente anno vigesimoquarto post sui in Religionem ingressum, extremo correptus morbo, ad Coelestem patriam se vocari praenovit. Quare Ecclesiae Sacramentis miro cordis fervore petitis, intimoque pietatis sensu susceptis, virtutibus, miraculisque clarus, in pervigilio Beatissimae Virginis in Coelum Assumptae, ad superos evolavit in Conventu, qui ab ejus nomine postea appellatus est prope Montem Berochium. Corpus ejus e communi Sepulcro erutum, ac nobiliori Urna inclusum, pubblicae fidelium venerationi in Ecclesiae Sacello eleganter extructo, collocatum fuit. Aucta autem in dies Sanctitatis, ac Miraculorum fama, Clemens Decimusquartus, cultum ab immemorabili tempore ei praestitum, ratum ha-

buit, et confirmavit; Pius vero Sextus Pontifex Maximus, lectiones proprias cum oratione in ejus officio, recitari indulsit. ℟. Iste homo.

In 3. Nocturno Lect. de comm. 2. loco.

Deinde fit comm. Octav. S. Clarae, et S. Laurentii ut in Breviar.

Pro Vigilia Assumptionis, ut in Breviar. cum comm. in Laudibus ut ibi.

DIE XVI. AUGUSTI.

In festo S. Rochi Conf. 3. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beato Rocho, per Angelum tuum tabulam eidem afferentem, promisisti, ut, qui ipsum invocaverit, a nullo pestis cruciatu laederetur: praesta quaesumus; ut, qui ejus solemnia celebramus, ipsius meritis, et precibus a mortifera peste corporis, et animae liberemur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. Justus si morte, *ut in comm. Conf. non Pont. 1. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROchus in Monte Pessulano natus, quanta in proximum charitate flagraret, tum maxime ostendit, cum saevissima peste longe, lateque per Italiam grassante, patria relicta, Italicam peregrinationem suscepit, urbesque, et oppida peragrans, seipsum in aegrotantium, obsequium

impendere, animamque suam pro fratribus ponere non dubitavit. Quod beati viri studium, quam gratum Deo fuerit, miris sanationibus declaratum est. Complures enim pestilentia infectos e mortis periculo signo crucis eripuit, et integrae sanitati restituit. In patriam reversus, virtutibus, et meritis dives sanctissime obiit, ejusque obitum statim subsecuta est veneratio Fidelium, quae in Constantiensi deinde Concilio, magnum recepisse dicitur incrementum, cum ad propulsandam ingruentem luem Rochi imago solemni pompa, omni comitante populo, per eamdem civitatem, Episcopis approbantibus, est delata. Itaque ejus cultus mirifice propagatus est in universo terrarum Orbe, qui eumdem sibi apud Deum adversus contagiosam luem Patronum religioso studio adoptavit. Quibus accurate perpensis, Urbanus Octavus Pontifex Maximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclesiae Sancti Rochi nomine Deo dicatae, Officio Ecclesiastico celebraretur, indulsit. ℞. Honestum.

Ex Tractatu S. Augustini Episcopi in Epistolam S. Joannis.

Tract. 5. in Cap. 3.

Lectio v.

PErfecta ista charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit mortuus pro omnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebatur, et dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt; sed si solus hoc fe-

cit, non erat Magister, si discipulos non habebat. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas; sed numquid mox, ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur, cum fuerit nata, nutritur, cum fuerit nutrita, corroboratur, cum fuerit roborata, perficitur, cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi, et esse cum Christo; multo enim magis optimum, manere in carne necessarium propter vos. Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori. ℟. Amavit.

Lectio vi. ex Tract. 6. Cap. 1.

HÆc est perfectio charitatis, et major omnino non potest inveniri; sed et quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet, in quo perfecta non est, si jam nata est, quae perficiatur, et utique, si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quaesivimus inchoationem charitatis, unde incipiat, et ibi continuo invenimus: Si quis habet facultates mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum, quomodo dilectio Patris manet in illo? Ergo hic incipit ista charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti in angustiis aliquibus constituto, ex eo, quod sibi abundat, secundum tempus a tribulatione temporali liberet fratrem, hinc exordium est charitatis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futurae vitae nutrieris, perveniens ad illam perfectionem,

ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. Sancti Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, *de comm. Conf. non Pont. 1. loco.*

DIE XIX. AUGUSTI.

In festo S. Ludovici Ep. Tolosani et Conf. 1. Ord. dup. 2. class. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter sequentia.

In utrisque Vesperis et Laudibus.

℣. Ora pro nobis, Beate Ludovice.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat in i. Vesp. et ad Benedictus.

Ant. Rosa vernans charitatis, lilium virginitatis, stella fulgens, Ludovice, vas sanctitatis, ora pro nobis Dominum.

Oratio.

DEus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum, atque Pontificem coeleste regnum terreno praeponere docuisti, ac puritate illibata, et eximia in pauperes charitate mirabiliter decorasti: concede; ut ejusdem virtutes aemulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in coelis. Per Dominum.

Pro comm. diei Octav. S. Clarae, et S. Helenae, ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. Fidelis sermo, *de comm. Conf. Pont.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUdovicus nobilissimo genere natus, Patrem habuit Carolum Secundum Siciliae Regem, Matrem vero Mariam, Hungariae Regis filiam. Adhuc puer in sortem Domini vocatus, posthabitis aetatis illius oblectamentis, divino se totum cultui mancipavit. Decimumquartum agens annum, una cum duobus fratribus pro Genitoris libertate, in bello navali a Rege Aragoniae capti, obses ductus in Cataloniam, Barcinone apud Minores Sancti Francisci fere septennio est commoratus; sub eorumque disciplina in scientiarum studiis, ac sacrarum litterarum comparanda eruditione eo progressus est, ut constans fuerit opinio, ipsi potius fuisse divinitus infusas, quam humanitus acquisitas. Verum majori conatu coelestis Magistri doctrina spiritum instruere anhelans, ciliciis, jejuniis, ferreis flagellis carnem afflixit. Assidua interim evangelicae veritatis meditatione contemptibilia mundi spernere edoctus, regalis solii fastum calcare deliberavit, ac de Seraphico amplectendo Instituto, raro humilitatis exemplo votum emisit. ℟. Inveni David.

Lectio v.

ECclesiasticae militiae adscriptus, et ad sacros Ordines deinde promotus, ut quod mente statuerat, opere firmaret, juri primogeniturae renuntiavit, et regno: cumque votum, quod Barcinone voverat, in Monte Pessulano frustra a-

dimplere satageret, illius Coenobii Fratribus timore Regis patris, eum recipere non audentibus, solemniter renovavit. Mox ad Ecclesiam Tolosanam a Bonifacio Octavo, quamvis invitus, assumptus, Romamque accersitus, et ab eodem honorifice exceptus, electioni de se factae nullatenus se assensurum declaravit, donec votum, quo se obstrinxerat, Deo reddidisset. Quare, annuente Pontifice, habitu Ordinis Minorum, quem semper postea retinuit, rite suscepto, in manibus Generalis Ministri professionem emisit; hisque peractis Apostolicis mandatis humiliter obtemperans, Episcopus Tolosanus passus est consecrari: indeque ad suam pergens Ecclesiam, cum Florentiae cubiculum, et lectum pretiosum sibi paratum invenisset, utrumque detestatus, utpote Seraphicae paupertati repugnans, super pavimentum strato pallio dormire maluit. ℟. Posuit adjutorium.

Lectio vi.

Tolosam ad illius Ecclesiae regimen profectus, spirituali animarum lucro totus incubuit; utque ministerium Apostolicum integre ac diligenter impleret, salutaribus monitis illibataeque vitae exemplo peccatores ad poenitentiam revocavit, pluresque Judaeos, atque Gentiles assidua verbi Dei praedicatione ad orthodoxam fidem convertit. Ecclesiasticam disciplinam ubique in commissa sibi Dioecesi promovit, ac restauravit. Liberalis in pauperes, vigintiquinque ex eis quotidie domi aluit. Puritatem usque ad obitum a pueritia nitidissime custodivit. Humilitatis tan-

dem, charitatis, atque omnium virtutum ornamento decorus, in juvenili aetate Brincolae Provinciae Arce ardenti febbri correptus, ad Domini sui amplexum, quem in votis semper habuerat, emigravit anno millesimo ducentesimo nonagesimo nono, quartodecimo Kalendas Septembris, sepultusque fuit Massiliae in Ecclesia Fratrum Minorum, prout ipse, adhuc vivens, jusserat. Magnis deinde meritis, et miraculis illustrem, inter quae plures mortui ejus intercessione ad vitam revocati enumerantur, Joannes Vigesimus secundus in Sanctorum numerum retulit. Ejus reliquiae ab Alphonso Aragoniae Rege Valentiam delatae, in Cathedrali Ecclesia honorifice conditae sunt. ℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 24.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia S. Fulgentii Episcopi.

Serm. de Conf. et Dispensatoribus Domini.

SErvorum, quos populo suo praeposuit Dominus, speciale volens officium demonstrare, ait, quod ex Evangelio modo audivimus: Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille ser-

vus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: Vos vocatis me magister, et Domine, et bene dicitis: Sum etenim. Quae est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redemit, et suo dominio mancipavit. ℟. Amavit eum.

Lectio viii.

DIspensator vero quis sit, quem oportet esse fidelem pariter, et prudentem, Paulus nobis ostendit Apostolus, qui de se suisque sociis loquens, ait: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Ne quis autem nostrum solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiae spiritualis officio, servus piger infideliter, imprudenterque dormitet; ipse beatus Apostolus Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

SErvi autem patris familias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepimus. Quae vero sit ista mensura tritici si quaeramus, ipsam quoque nobis idem Apostolus ostendit, dicens: Unicuique sic Deus divisit mensuram fidei. Quam ergo mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat; ut agnoscamus, non

aliud esse spiritale triticum, quam Christianae fidei venerabile Sacramentum.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit comm. dici Octav. S. Clarae.

DIE XX. AUGUSTI.

In festo S. Bernardi Abbatis, et Ecclesiae Doctoris Dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

In utrisque Vesperis. Antiph. ad Magnificat. O Doctor optime, *de comm. Doct.*

Oratio.

DEus populo tuo aeternae salutis, Beatum Bernardum ministrum tribuisti: praesta quaesumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BErnardus, Fontanis in Burgundia honesto loco natus: adolescens propter egregiam formam vehementer solicitatus a mulieribus, numquam de sententia colendae castitatis dimoveri potuit. Quas diaboli tentationes, ut effugeret, duos, et viginti annos natus monasterium Cisterciense, unde hic ordo incoepit, et quod tum sanctitate florebat, ingredi constituit. Quo Bernardi consilio cognito, fratres summopere conati sunt eum a proposito deterrere: in quo ipse eloquen-

tior ac felicior fuit. Nam sic eos, aliosque multos in suam perduxit sententiam, ut cum eo triginta juvenes eamdem Religionem susceperint. Monachus jejunio ita deditus erat, ut quoties sumendus esset cibus, toties tormentum subire videretur. In vigiliis etiam, et orationibus mirifice se exercebat: et Christianam paupertatem colens, quasi caelestem vitam agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura, et cupiditate alienam. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

ELucebat in eo humilitas, misericordia, benignitas: contemplationi autem sic addictus erat, ut vix sensibus, nisi ad officia pietatis, uteretur: in quibus tamen prudentiae laude excellebat. Quo in studio occupatus, Genuensem ac Mediolanensem, aliosque Episcopatus oblatos recusavit, professus se tanti officii munere indignum esse. Abbas factus Claravallensis, multis in locis aedificavit monasteria, in quibus praeclara Bernardi institutio, ac disciplina diu viguit. Romae sanctorum Vincentii et Anastasii monasterio ab Innocentio Secundo Papa restituto praefecit Abbatem illum, qui postea Eugenius Tertius Summus Pontifex fuit, ad quem etiam librum misit de Consideratione. ℟. Amavit.

Lectio vi.

MUlta praeterea scripsit, in quibus apparet, eum doctrina potius divinitus tradita, quam labore comparata, instructum fuisse. In summa virtutum laude exoratus a maximis Principibus de earum componendis controversiis, et de Ecclesiasticis rebus constituendis saepius in Italiam

venit. Innocentium item Secundum Pontificem Maximum in confutando schismate Petri Leonis cum apud Imperatorem, et Henricum Angliae Regem, tum in Concilio Pisis coacto, egregie adjuvit. Denique tres et sexaginta annos natus obdormivit in Domino, at miraculis illustris, ab Alexandro Tertio Papa inter Sanctos relatus est, Pius vero Octavus Pontifex Maximus ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio Sanctum Bernardum universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, et confirmavit, necnon Missam, et Officium de Doctoribus ab omnibus recitari jussit, atque Indulgentias plenarias quotannis in perpetuum Ordinis Cisterciensium Ecclesias visitantibus die hujus Sancti festo concessit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Vos estis sal terrae, *de comm. Doct.*

DIE XXI. AUGUSTI.

In festo S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid. dupl. min. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

OMnipotens, et misericors Deus, qui Beatam Joannam Franciscam, tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis, et precibus concede, ut, qui infirmitatis nostrae conscii, de tua virtute confidimus, coelesti gratiae auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

Et fit comm. S. Bernardi, et Octav. Assumpt. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOanna Francisca Fremiot a Chantal Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus, ab ineunte aetate eximiae sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem, nobilem quemdam Calvinistam solida supra aetatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in haec verba: En quomodo haeretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata, Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam, quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni, ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a Patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata; quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

VIro in venatione interempto, perfectioris vi-

tae consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum aequo animo tulit, sed in publicum iudultae veniae testimonium occisoris filium e Sacro Fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Numquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles, et honorificas, iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius in die charitate fervescens pauperes, derelictos, aegros, teterrimisque morbis infectos, ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pute ulceribus labia admovere non exhorrebat. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

A Sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium Parentem, Socerum, Filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua e Domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et Sacri Instituti Visitationis Sanctae Mariae fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrime custodivit; et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianae vero animi demissionis, et obedientiae, virtutum denique omnium perfe-

cilissimum exemplar se praebuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique Sacro Visitationis Instituto ejus potissimum opera longe lateque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiam divina sapientia refertis ad pietatem, et charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis rite susceptis Mollini, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decimatertia Decembris migravit ad Dominum, ejusque animam occurrente Sancto Francisco Salesio in Coelos deferri Sanctus Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatum fuit; eamque miraculis ante, et post obitum claram Benedictus Decimusquartus Beatorum, Clemens Decimustertius albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem diem duodecimo Kalendas Septembris ab Universa Ecclesia, Clemens Decimusquartus Pontifex Maximus celebrari praecepit. ℟. Fallax gratia.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Simile est regnum coelorum thesauro, *de eod. comm.*

DIE XXVI. AUGUSTI.

In festo S. Ludovici Regis Francorum Conf. 3. *Ord. dupl.* 2 *class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*

In utriusque Vesperis et Laudibus.

℣. Ora pro nobis, Beate Ludovice.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In primis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Ambulavit coram Domino in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est in oculis ejus, fecit semper.

Oratio.

DEus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum de terreno regno ad coelestis regni gloriam transtulisti: ejus quaesumus meritis, et intercessione, Regis regum Jesu Christi, Filii tui, facias nos esse consortes. Qui tecum vivit, et regnat.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem regum Dominum, * Venite adoremus.

In 1. Noct. Lect. Beatus vir, *ut in comm. Conf. non Pont. 2. loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUdovicus Nonus Galliae Rex, duodecim annos natus, patre amisso, et in Blanchae matris sanctissima disciplina educatus, mox Tertio Ordini Beati Francisci adscriptus, illustria dedit abstinentiae, humilitatis, religionis, aliarumque virtutum exempla. Cum vigesimum annum in regno ageret, in morbum incidit; quo tempore cogitavit de recuperanda possessione Hierosolymorum. Quamobrem ubi convaluisset, vexillum ab Episcopo Parisiensi accepit: deinde mare cum ingenti exercitu trajiciens, primo praelio Saracenos fugavit. Sed cum ex pestilentia, magna militum multitudo periisset, victus ipse, captusque est. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

REbus postea cum Saracenis compositis, liber Rex, exercitusque dimittitur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Christianos a Barbarorum servitute redemit: multos etiam infideles ad Christi fidem convertit: praeterea aliquot Christianorum urbes refecit suis sumptibus. Interim mater ejus migrat e vita: quare domum redire cogitur, ubi totum se dedit pietatis officiis. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

MUlta aedificavit Monasteria, et pauperum hospitia: beneficentia egentes sublevabat: frequens visebat aegrotos: quibus ipse non solum suis sumptibus omnia suppeditabat, sed etiam, quae opus erant, manibus ministrabat. Vestitu vulgari utebatur, cilicio, ac jejunio corpus assidue affligebat. Sed cum iterum transmisisset, bellum Saracenis illaturus, jamque castra in eorum conspectu posuisset, pestilentia decessit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Ejus corpus postea Lutetiam Parisiorum translatum est, quod in celebri Sancti Dionysii templo asservatur, et colitur; caput vero in sacra Æde sanctae Capellae. Ipse clarus miraculis a Bonifacio Papa Octavo in Sanctorum numerum est relatus. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno ut in Breviar.

Ubi hoc festum celebratur die xxvi. hujus Lect. erit de S. Zephyrino, ut in Breviar.

Ad Benedictus.

Antiph. In lege Domini congregationem judicavit, et cognitus est in verbis suis fidelis.

Orat. Deus, qui Beatum Ludovicum, *ut sup.*

Romae, et ubi celebratur die XXVI. fit comm. S. Zephyrini Papae, et Mart. ut in Breviar.

In secundis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Cogitatio illius apud Altissimum, ideo accepit regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.

Orat. Deus, qui Beatum Ludovicum, *ut sup.*

DIE XXVII. AUGUSTI.

In festo S. Josephi Calasanctii Conf. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui per Sanctum Iosephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es: praesta quaesumus, nos ejus exemplo, et intercessione ita facere, et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOsephus Calasanctius a Matre Dei, Petraltae in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis

futurae in pueros charitatis, et eorum institutionis indicia praebuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis Fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis, divinisque litteris egregie doctus, cum studiis theologicis Valentiae operam daret, nobilis, potentisque foeminae illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellae Novae, Aragonia, et Catalauniae regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit; pravis ubique moribus emendatis, Ecclesiastica disciplina restituta, inimicitiis, cruentisque factionibus mirifice extinctis. At coelesti visione, et Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

IN Urbe summa vitae asperitate, vigiliis, et jejuniis corpus affligens, in orationibus, et coelestium rerum contemplatione dies, noctesqus versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus: quem inde morem complures annos servavit. Dato piis Sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos, eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, una cum Sancto Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut praeter subsidia aegrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus ac-

cepisset, se ad informandos intelligentiae, ac pietatis spiritu adolescentulos, praecipue pauperes, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio Instituto profiterentur: Ipsumque Ordinem a Clemente Octavo, Paulo Quinto aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europae Provincias, et regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot aerumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, et Sancti Jobi exemplum diceretur. ℟. Amavit.

Lectio v.

QUamvis Ordini universo praeesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, numquam tamen intermisit pueros, praesertim pauperiores, erudire; quorum scholas verrere, eosque domum comitari, consuevit. In eo summae patientiae, et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos, et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui Beatissima Virgo cum puero Jesu illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium, et absentia cognoscendi, donis, et miraculis clarus, Deiparae Virginis, quam singulari pietate, et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit, aliorumque Coelitum frequenti apparitione dignatus, cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque in-

crementum praenuntiasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romae obdormivit in Domino, octavo Kalendas Septembris, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus cor, et lingua post saeculum integra, et incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illustratus, primum a Benedicto Decimoquarto Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde a Clemente Decimotertio inter Sanctos solemniter est relatus.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 18.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno Coelorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Cap. 18. *Matth. Homil.* 60.

VIdete, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei voluntas est. Ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quam ingentia in tutelam tenuium moenia erexerit, et quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos poenas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eo-

rum suscipiunt, idque tam suo, quam Patris exemplo corroborat.

℟. Iste est.

Lectio viii.

Dominum igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum quae humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur; omnia haec pro fratris salute tolerabiliora, facilioraque, oro, videantur. Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

Si non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem reipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus, quae nobis spes salutis reliqua erit? Quid majus quam animis moderari, quam adolescentulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario, caeterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenum animos fingere non ignoret. Te Deum laudamus.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

In festo B. Isabellae Virg. Sororis S. Ludovici Regis Francorum 2. Ord. dupl. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatam Isabellam Virginem tuam regales delicias, et mundi gloriam crucis mortificationi, et humilitati postponere docuisti, ipsius meritis, precibusque concede, mundi hujus blandimenta superare, et in amplexu tuae crucis gloriam invenire. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. S. Ægidii Abbatis, et SS. Duodecim Fratrum Mart. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

In 2. et 3. Noct. de comm. Virg. 1. loc. Pro S. Ægidio Abbat. Lect. ix. ut in Breviar hac ipsa die.

DIE III. SEPTEMBRIS.

In festo BB. Joannis de Perusio, et Petri de Saxoferrato Martyrum 1. Ord. dupl. m n. Omnia de comm. plurim. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

COncede, quaesumus, omnipotens Deus, infirmitati nostrae praesidium: ut, sicut Beatorum martyrum tuorum Joannis, et Petri gloriamur triumphis; ita, eorum constantiam imitari non

pigeat, quam celebrare delectat. Per Dominum.

Pro comm. S. Stephani Conf. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex Comment. S. Antonini Archiep. Florentini de Viris egregiis Ordinis Minorum.

Chron. part. 3. tit. 24. Cap. 7. §. 14.

DUos Fratres Beatissimus Pater Franciscus ad Regnum Aragoniae destinavit, Fratrem scilicet Ioannem (Perusinum) Sacerdotem, et Fratrem Petrum (a Saxoferrato) Conversum. Hi cum Turolium devenissent, Conventum ibi capientes, praedicationibus, et orationibus suae odorem sanctitatis diffuderunt. Tempore illo, scilicet anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo, vel circa, Valentia Civitas erat Saracenis populata, et infidelium Maurorum ditioni subjecta, in qua regnabat quidam, Azotus nomine, Christianorum maximus persecutor. Praedicti igitur Fratres zelo fidei succensi, et martyrii desiderio inflammati, ad praedicandum Verbum Dei, Valentiam sunt ingressi, et ibi de falsitate legis Mahumetis Saracenis ferventer praedicavere: Quod audiens Rex Azotus, comprehendi eos jussit, et carceri mancipari. Et cum promissionibus plurimis invitasset ad legem suam observandam, et Christi fidem abnegandam, illi autem hoc detestarentur, in publica platea illos decollari man-

davit. Qui sepulturae traditi, coeperunt miraculis coruscare. ℟. Sancti tui.

Lectio v.

REx autem Aragoniae Christianissimus, Jacobus nomine, cum dictó Rege Valentiae eo tempore bellum gerebat. Et ex quo Rex Valentiae Azotus illos Martyrio consummavit in dies coepit inferior existere, et ab eo superari in bellis. Cum ergo videret se Azotus, quotidie a Christianis expugnari, a gratia divina, et Dei virtute sola arbitratus hoc fieri, cum Rege Aragonum tractare coepit de sua conversione ad fidem, offerens, se ei Civitatem traditurum, et Regnum, dummodo sibi vitam, et victum concedere dignaretur decentem. Quibus omnibus Rex Aragonum annuens, et gaudens de sui conversione, confoederatus est cum eo. Anno igitur Domini millesimo ducentesimo trigesimo octavo, in vigilia Sancti Michaelis ingreditur Rex Aragoniae Civitatem Valentiae, ejus dominum capiens. Rex prior Azotus juxta promissum, Baptisma suscepit, qui libere Regi tradidit totum Regnum suum, scilicet Valentiae. Converso autem ad fidem Azoto, Rex Aragoniae concessit ei palatium Regium intra Civitatem, et quemdam Comitatum, et successoribus suis: et cultu Mahumetico de illa Civitate Valentiae evacuato, introductus est Ritus, et Fides Christianorum.

℟. Verbera carnificum.

Lectio vi.

Vocavit autem Azotus Fratres Minores, dicens eis: ego sum, qui occidi Fratres Socios vestros de Turolio ex infidelitate mea, de quo doleo ex toto corde meo; et pro aliquali satisfactione, vellem, quod palatium meum regale pro vestro Monasterio construendo haberitis; et illud debetis libenter accipere, quia ibi multus sanguis Martyrum effusus est per me, et alios priores Dominos infideles: ut sit quasi totum Sanguine Martyrum consecratum. Et Beatus Vincentius Martyr, quem tota Christianitas tanta veneratione festivat, pro fide Martyrio ibi coronatus est. Quamobrem sitis soliciti, dictum Palatium a Rege Aragonum postulare: et credo, quod vestrum desiderium, et meum adimplebit. Quod cum fecissent, ut Rex Aragonum Jacobus, Azotum, cui illud concesserat, hoc exoptare cognovisset, gaudiose concessit, sicque ibi est Conventus Ordinis Minorum. Cultum porro jam inde ab obitu, laudatis Martyribus Joanni, et Petro exhibitum, et continenter auctum, probatumque, Clemens Decimusprimus ratum habuit, firmavitque. Benedictus autem Decimustertius, Missam, et Officium in universo Minorum Ordine, tum etiam in Civitatibus, et Dioecesibus Valentina, ubi passi sunt, Turolensi, ubi eorum Corpora magna Fidelium religione coluntur, nec non in Perusina, simulque in oppido Saxiferrati, ubi ortum habuere, ritu duplici celebrandum indulsit.

℟. Tamquam aurum.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Cum audieritis

praelia, *de comm. plurim. Mart. 1. loco.*
℟. *viii.* Haec est vera fraternitas, *ibi.*

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In festo Translat. S. Rosae Virg: Viterbiensis 3. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.

In utrisque Vesperis et Laudibus.

℣. Ora pro nobis, Beata Rosa.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

In primis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Suscipiat anima vestra disciplinam: videte oculis vestris, quia modicum laboravi, et inveni mihi multam requiem.

Oratio.

Deus, qui Beatam Rosam sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quaesumus; ut ejus precibus et meritis a culpis omnibus expiemur, et tuae majestatis consortio perfruamur aeterno. Per Dominum.
Et fit comm. Beatorum Martyr.
Lect. 3. *Noct. ut in Breviar.*

Ad Benedictus.

Antiph. Liberasti corpus meum a perditione, a pressura flammae quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuata.
Oratio. Deus, qui Beatam Rosam, *ut supra.*

In secundis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Flores apparuerunt in terra nostra, vineae florentes dederunt odorem.

Oratio ut supra, et fit comm. seq.

DIE V. SEPTEMBRIS.

In festo B. Gentilis Mart. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. unius Mart. praeter sequentia.

Oratio.

TE Domine, quaesumus, ut ex ore nostro incessanter tibi laudes perficias, qui Beato Gentili martyri tuo, ad infidelium conversionem linguarum donum indidisti. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GEntilis Mathelicae in Piceno ortum habuit ex Finaguerria gente inter Mathelicenses illustri. Pueritia pie exacta, adolescens Fratrum Minorum Ordini nomen dedit. Studiorum curriculo emenso, Sacerdotio insignitus, in Alvernia dein abditus, virtutum omnium specimen se exhibuit, oratione silentio, et solitudine adeo delectabatur, ut noctes in Ecclesia crebro duceret insomnes, suavissima absorptus contemplationis dulcedine, divinorumque arcanorum admirator effectus. Praeclaris iis Gentilis dotibus permoti illius Coenobii Fratres in Praesidem eum bis elegerunt; quo in munere illorum ita sibi de-

vicit animos, ut ad perfectionis studium, rectamquè Regulae observantiam peramanter eos excitaret. Harum vero virtutum nitor foras etiam erupit, dum verbi Dei praeconio, vitae exemplo, zeloque flagrantissimo homines criminum labe infectos, ad meliorem redegit frugem, et animas errorum tenebris detentas signis, ac prodigiis, ad veritatis lumen perduxit.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

FActa a Superioribus venia, ultimos tum Ægyptiorum, tum Persarum lustravit fines; unde, cum eorum sermonem ediscere non posset, egredi jam coeperat, cum Deus, qui servum suum ad hanc evocaverat messem, per juvenem ei in itinere accurrentem redire jussit, ut apud eas gentes suum Evangelium nuntiaret. Itaque in Persidem regressus, indito ei divinitus linguae dono, uberrimo animarum fructu Christi Fidem praedicavit, Deo ipsius verba multis confirmante miraculis. Qua de re Persae convicti, Gentilis doctrinam amplexi, ultra decem millia Sacro Baptismate abluti sunt. Ut autem eo magis in suscepta fide illos firmaret, tenui contentus obsonio, rudique incedens amictu, omnia pro Christo, ut stercus arbitrans, stipem sponte oblatam egenis adjuvandis erogabat. Prophetiae dono excelluit, multa praedicens exitu dein comprobata. ℟. Desiderium.

Lectio vi.

AT aegre ferentes Saraceni, innumeros pene homines a Mahumetis perfidia ad Christum con-

verti Gentilis opera, eum anno trecentesimo quadragesimo supra millesimum, in Torris Civitate Martyrio affecerunt: Ejus ossa honorifice Venetias transvecta, in Ecclesia Fratrum Minorum requiescunt. Miraculis quamplurimis martyrem suum Deus illustravit; inter quae illud maximum narratur cujusdam juvenis, qui, solemni supplicatione praetereunte, qua Gentilis Reliquiae asportabantur, cum obmurmuraret, tot exhiberi honores homini, cujus sanctitas ignota esset, repente magno hiatu os ejus utrinque ad aures retortum est, et nonnisi culpam confessus, votoque emisso Martyris sepulchrum venerandi, perfecte convaluit. Beati Gentilis cultum ratum habuit Pius Sextus Pontifex Maximus, qui Missam etiam, ac Officium die quinta Septembris ejus obitu pretiosissima tum ab universo Minorum Ordine, tum a Clero Mathelicensi quotannis celebrari indulsit. ℟. Stola jucunditatis.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Si quis venit ad me, *de 1. loco.*

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In festo S. Macrinae Virg. dupl. min. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.

Oratio.

Deus veritatis amator, qui Beatae Macrinae, Virginis ad tui nominis gloriam vota suscipere dignatus es; fac nos radios verae lucis agnoscere, et ad perpetuos charitatis tuae amplexus feliciter pervenire. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Epistola Sancti Gregorii Nysseni ad Olympium Monachum.

Lectio iv.

MAcrina, Sanctorum Basilii, et Eumeliae filia, Magnique Basilii, et Gregorii Nisseni soror, ab ineunte aetate religiosis vitae moribus a beatis parentibus diligenter instructa, pietatem egregie coluit. Hujus mater gravida, somno correpta, manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humana specie, et forma angustiorem intueri, qui Theclae celeberrimae Martyris nomine filiolam appellavit. Id autem cum ter repetens, testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexit. Is autem, qui per quietem apparuerat eam vocem pronuntiavit, non tam, ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis, idem obstenderet vivendi studium et institutum. Duodecimum annum cum attigisset, a Basilio patre nobili cuidam, et honestissimo adolescenti despondetur, quo e vita (nuptiis nondum celebratis) abeunte, numquam induci potuit, ut quae virginitatem servare in animum induxerat, alium duceret. A matris latere, quam summa observantia reverebatur, ne momento quidem temporis discedebat, eique ancillae instar ministrabat in omnibus.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

PAtre mortuo, laborum Eumeliae matris, quibus illa premebatur, se sociam praebens solicitudinumque partem subiens, eam gravi molestiarum onere levabat, cui post etiam suasit, ut relicta pristinae vitae consuetudine, elatiorique vivendi modo, quas subditas, et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem conditionis, atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum virginibus traduceret. Basilium fratrem ante id tempus, a publicis litterarum gymnasii, in quibus diu versatus fuerat, domum redeuntem ad perfectionis studium adeo incendit, ut mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiae gloria, laboriosum, operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexatus, expeditam sibi ad virtutem viam extruxerit. Ipsa vero Beata Macrina vitam victu asperam, sed assiduis contemplationibus suavem ducens, humi cubabat, modico cibo contenta erat, delicias suas in temperantia collocaverat, gloriam suam in eo putaret sitam, quod nota esset nemini, divitias, quod nihil possideret.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

NOvem circiter mensibus a Basilii fratris obitu, quem illa forti animo tulerat, in morbum incidit, quo tempore a Gregorio Nysseno fratre invisitur, qui tamdiu apud eam fuit, quamdiu animam Deo reddidit. Sub mortem vero, Sponsi charitate vulnerata, ita Deum precari

coepit : Tu , Domine , mortis metum nobis abstersisti: Tu effecisti, ut hujusce vitae finis verae nobis esset principium vitae : Tu nostra corpora ad tempus somno tradis , rursumque e somno suscitas extrema tuba : Tu mihi adhibe Angelum lucis , qui me ducat ad locum refrigerii , ubi quietis est aqua , in sinu Sanctorum Patrum. Haec dicens , oculos , os , et cor cruce signans , vitae finem laeta expectabat. Nocte demum adveniente , cum tota in agendis Deo gratiis esset, ad praemium abiit in Coelum. Cujus Corpus in eo sepulchro , in quo Beatorum Parentum reliquiae quiescebant , conditum est.

℞. Afferentur Regi.

In 3. *Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang.* Simile est regnum coelorum decem Virginibus , *de comm. Virg.*

EADEM DIE.

In festo S. Rosaliae Virg. Panormitanae Semid. In Civit. et Dioec. Neap. dupl. min. Omnia de comm. Virg. praeter ea , quae sequuntur.

Oratio.

Exaudi nos , Deus salutaris noster , ut sicut de Beatae Rosaliae Virginis tuae festivitate gaudemus ; ita piae devotionis erudiamur affectu , et ejus intercessione ab iracundiae tuae flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ROsalia Virgo, orta Panormi ex nobili genere, suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquine Montem, quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, paternae domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem et benevolentiam Regum Siciliae contemnens, cum tetricae rupis horrore et asperitate commutavit: inque antrum, cui tunc unicus, et quidem angustus aditus e superiori loco patebat, intrepide descendit ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit: Ego Rosalia Sinibaldi Quisquinae et Rosarum domini filia, amore Domini mei Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. Qua inscriptione oculis observante, susceptae vitae propositum altius cordi infigere, ac Divinae benevolentiae signa ad castissimae mentis blandimenta vicissim provocare consuevit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

IN hac specu subterranea sibi et mundo emortua, consepultaque Jesu Christo, ut soli Deo viveret, diu noctuque latuit, cavens praecipue in montibus paterni Principatus, ne forte agnita in domum, urbemque patriam adduceretur invita. Callidas daemonum insidias, quae asperae vitae taedium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter saeviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione, forti animo

superasse, antiquae Icones significant; cumque humanis destituta praesidiis, nihil solatii aliunde hauriret, quam e coelo; Dominus, qui consolatur et coronat Sanctos suos, Angelicis deliciis illam saepius recreabat.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

CÆlesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam Peregrini montis, tribus fere mille passibus procul Panormo, Rosalia se transtulit, ut quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret e conspectu domus paternae, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad partem laevam angustus concavus, quem eadem post repertas ejus reliquias, illuc venanti, cui se videndam praebuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum aetatis exegisset. Hic tamquam columba in foraminibus petrae gemens, in coelestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus charitatis rosis, et virginitatis liliis coronata, deposuit pridie Nonas Septembris. Cujus Corpus Urbano Octavo Pontifice Maximo divinitus anno Jubilaei totius Siciliae plausu repertum, illam a peste liberavit. ℟. Afferentur.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, *ut in comm. Virg.*

DIE VII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Pantaleonis Mart. semid. Omnia de comm. unius Mart. praeter sequentia.

In primis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Gloriosus Pantaleon coelestem Medicum toto dilexit corde ; et moriens pro Christo vivit in Coelo coronatus.

℣. Gloria , et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Oratio.

DEus , qui Beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti , et pro persecutoribus exorare : concede propitius , ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuae sentiamus effectum. Per Dominum.

Ad Matut. Omnia de comm. unius Martyris, praeter sequentia.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAntaleon Nicomediensis, filius Eustorgii Gentilis , et Eubulae, Christianae, medicam artem ab Euphrosyno didicit. Cum autem Hermolaus Presbyter ex modestia vultus, ex incessu, et serenitate oculorum alte de illo judicasset , illum accersivit , et coepit in cor fluenta divinae fidei infundere. Crede mihi; dixit: Æsculapii , et Hippocratis medicamenta parva sunt , et parum pro-

desse possunt ; quinimo ipsi Dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fabula. Unus autem solus verus Deus est Christus, in quem, si credideris, ejus sola invocatione, omnes morbos fugabis. Quae verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus, ad Hermolaum, ut ad Magistrum, hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam quasi ostendentem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit : Si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine Christi, puer iste vivet, et bellua morietur ; quod, uti cogitavit, accidit : et statim infusa luce securitatis omnis caligo discessit ; et benedicens Deum, aestuansque desiderio sacri Baptismi, ab Hermolao gaudens suscepit.

— ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

NOn multo post coeco visum restituit, et Patri Eustorgio tenebras impietati, solvit, qui Idola calcans, verum Deum confessus baptizatur. Mortuo Patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur : quare ad Maximianum defertur ; qui primum honore, et blanditiis attrahere studet : deinde minatur mortem, et dira supplicia, si Diis non offerat sacrificium: sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur. At illo orante, apparuit Christus dulcibus verbis illum recreans, et illico laxatae sunt manus lictorum, extinctae lampades, et plumbum li-

quatum, in quod postmodum, Tyranno jubente, injectus fuit, in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas? Mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti: sed lapis non secus ac folium leve, supernatat, et Pantaleon firmiter super undas grâditur. Non cessit tantis prodigiis Tyranni obcoecata mens, sed feris insanior, jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabili Coelo confluxit tota Civitas: congrediuntur cum Athleta ferae: at illae, tamquam ratione utentes, et indutae humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua lambentes, veluti contendebant, quaenam prima ad eum accederet; et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

℟. Desiderium animae.

Lectio vi.

Quo viso clamabant multi: dimittatur justus; magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus, et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, et rotae alligatum in praeceps per declive demitti: at rota ultrice, et plures Deorum opprimente cultores, illaesus evasit; quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleae plantae illum alligat, sed cum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cerae similis: quo miraculo stupefacti lictores, ad pedes martyris provoluti, veniam precantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem ne periret gloria martyrii, caput abscin-

ditur, et statim lac pro sanguine fluxit, et planta oleae, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, sacrum Corpus in Suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt; et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit; inter quae praeclarum illud, quod Sacer ejus Cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, dum Romae a primis Vesperis Festi usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus antea existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri cunctis cernentibus, quotannis conspicitur; quod etiam accidit in portione Sanguinis, qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium Sancti Augustini Matriti inter pretiosiora pignora asservatur. ℟. Stola jucunditatis.

In 3. Noct. Homil. S. Hilarii Ep. in Evang. Nihil est opertum, *ut in festo S. Polycarpi Ep. et Mart. die XXVI. Januarii.*

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. In tormentis apparuit Christus Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dom.*

Antiph. Ego enim, ait Christus in habitu Hermolai, tecum sum in omnibus, quae propter me pateris.

Antiph. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de Coelo: ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, idest misericors; quia multi per te misericordiam consequentur.

Antiph. Lacte et cruore, Martyris collum fluit, quo cruorem, et aquam Christus fuderat.

Antiph. Pantaleon varie cruciatus jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.

Capitul. Hymn. et ℣. de comm. unius Mart.

Ad Benedictus.

Antiph. Dixit Maximianus Pantaleoni: Quaenam est ars praestigiarum, quae tibi extinxit lampades, et satellitibus vires abstulit? Ad quae respondit: Meae praestigiae Christus est.

Orat. Deus qui Beatum Pantaleonem, *ut supr.*

In secundis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu adstantium factus est illi adjutor.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

In festo B. Seraphinae Sfortiae Vid. 2. Ord. dupl. Omnia de comm. nec Virg. nec Mart., praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

DEus, qui per Beatam Seraphinam eximium nobis patientiae exemplum tribuisti: praesta supplicibus tuis; ut et ipsius instruamur exemplis, et ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum.

Et fit comm. S. Gorgonii Mart. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SEraphina, Patre Guidone Antonio Urbinate, ac Feretrano Comite, Matre Catharina Columna, summo genere Urbini nata, ab ineunte aetate non obscura futurae sanctitatis argumenta dedit. Puella amissis parentibus in Columnensium domo pie, ac liberaliter educata, palam demonstravit in ipso etiam familiae splendore, solida excellentis virtutis jaci posse fundamenta. Inanis enim gloriae, et fluxarum rerum contemptu, suavitate morum, illustri continentia, studio solitudinis, et assiduitate orandi, aliis exemplo et admirationi fuit. Hortatu postmodum illorum, in quorum se fidem, curamque contulerat, nupta Alexandro Sfortiae Pisauri Dynastae, magnoque Regni Siciliae Contestabili, Matrisfamilias munus, dignitatemque egregie sustinuit, subjectamque sibi Regionem illam, absente viro, sic aliquamdiu rexit, ut illius quique providentiam, aequitatem, justitiam celebrarent, innocentiam morum, integritatemque suspicerent. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

ETsi tot animi dotibus clara, in mariti tamen offensionem incurrit: gravibusque impetita injuriis, patientissime toleratis, viro tandem annuente, in Pisaurense Franciscanarum Virginum Corporis Christi Monasterium se contulit: ubi quam inierat, castigatissimae vitae institutionem ita est prosecuta, ut pia, et domestica illius

consuetudine Sorores ad pietatis studium incenderentur. Ex mariti voluntate per solemnia vota suam Deo obstrinxit Fidem, ac in sancto proposito immota, omne coluit virtutum genus. Instituti Regulas, etiam quae minime habebantur, servavit, adversa quaeque constanter, patienterque sustinuit, preces ad Deum continenter fudit, Divinis semper adfuit Officiis, paupertatem coluit, abjecta quaeque munera obivit; sibi denique numquam pepercit, ac si summo in se ipsam odio arderet.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

OMnium Sororum suffragiis in Abbatissam electa, dici vix potest, qua prudentia, charitate, aequabilitate, quo ardore custodiendae disciplinae, quo demum omnium plausu dignitatem tenuerit, sibique crediti regiminis partes cumulate impleverit. Cum annis duodeviginti ita in sacro Coenobio vixisset, ut nihil ei ad consummatam virtutem deesse videretur, extremo morbo correpta, et Sacramentis Ecclesiae munita sexto Idus Septembris anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo, migravit ad Coelum, idque Divini dispositione consilii quodammodo contigisse visum est, ut quae in Beatae Virginis Mariae clientelam totam se dederat, ejusdem Deiparae Natali die, educta e corporis angustiis, Coelo auspicatissime oriretur. Corpus ipsum, quod triduo explendae pietatis concurrentium civium causa insepultum manserat, singulari veneratione Pisauri colitur. Quem

quidem cultum jam usque ab immemorabili tempore ad aetatem nostram productum, Benedictus Decimusquartus Pontifex Maximus rite probavit. ℟. Fallax gratia.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Simile est regnum coelorum thesauro, *ut in comm. non Virg.*

Pro S. Gorgonio Mart. Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XI. SEPTEMBRIS.

In festo Beatorum Mart. Antonii, et Socior. Hydruntinorum semid. Omnia de comm. plurim. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

PRaesta quaesumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occur.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANtonius Primaldus, et octingenti circiter Socii martyres Hydruntini, Christi fidem postremis hisce saeculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadringentesimo octogesimo; cum Achomates classis Mahumeti Secundi Praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus, Urbem penitus imparatam facili

negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est: sed jam disjectis moenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit, qui vi urbe potiti, cuncta coedibus compleverunt; sic per diuturnos labores, multasque tribulationes servos suos Dominus ad coronam disponebat. ℟. Sancti.

Lectio v.

HYdruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates, crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat, viros omnes secerni jubet decimoquinto anno majores, qui octingenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis ex urbe ad clivum Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro Duce deducuntur. Electo huic populo Fides Christi ejuranda proponitur; libertas, et patriae salus, dum pareant, promittitur; mors vero, si renuant, indicitur. At exemplo vere singulari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus, vel mortis timore perculsus, a Fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio, viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu, et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt. ℟. Verbera.

Lectio vi.

MArtyrium hoc plurimis prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim Antonii corpus abscisso capite constitisse; nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita, penitus integra, et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriae Duce Ferdinandi Regis filio, Urbe recuperata, summa religione ac pompa, ipsoque comitante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit: unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catharinae ad Formellum nuncupatam, translat sunt; ubi nunc etiam pie sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum patria Hydruntum veneratur, Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta. Cultum ab immemorabili tempore iisdem praestitum, Clementis Decimiquarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum, curavit.

℟. Tamquam.

In 3. *Noct. Lect. de comm. plur. Mart.* 1. *loc.*

DIE XII. SEPTEMBRIS.

In festo B. Vincentii ab Aquila Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Vincentium Confessorem tuum cunctis virtutibus, evangelica praesertim simplicitate, et mira vitae austeritate decorasti: da nobis, ut ejusdem imitatores effecti, gratiam coram oculis tuis invenisse laetemur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VIncentius, Aquilae in Vestinis ortus sub optimorum parentum pia educatione tantum in via virtutis profecit, quantum ejus Sanctitatis postea declaravit. Deo, cui soli placere studebat, liberius inserviendi causa, mundi blandimenta fugiens inter Minorum Observantium Laicos admitti suppliciter petiit. Voti compos effectus, Seraphici Instituti puritatem, et severioris disciplinae exercitationem, quae inibi plurimorum, Sancti praesertim Bernardini Senensis opera, illustrior evaserat, omni conatu aemulari coepit. Solemni vero emissa professione, totus Vincentii animus in eo semper fuit, ut Deo vota sua plene redderet, et seipsum Altissimo in holocaustum perfectum offerret.

℟. Honestum fecit.

Lectio vi.

ASperrimum vitae genus amplexus, panem tantummodo, herbasque crudas absinthio mixtas ad esum, aquam ad potum, adhibere consuevit, cumque senio confectus, cibo reliquis Fratribus communi vesci Superiorum jussu coactus esset, potiori tunc sibi parte subtracta, quantitatem qualitate provido compensabat. A saecularium consortio, Fratrumque colloquio declinans, solitariam vitam agebat. Orationi, rerumque coelestium meditationi jugiter per diem intentus integras quoque noctes orando, et meditando saepe ducebat insomnes, dignusque fuit, ut extasum et raptuum dono pluries apparuerit coelitus insignitus. Hinc columbina simplicitas, in laboribus, aerumnis, illatisque perferendis injuriis, eximia patientia, singularis humilitas, obedientia insignis, illibata puritas, atque evangelica in eo eluxit paupertas.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

CHaritate erga Proximum exardescens, omnibus prodesse summopere studuit, omniumque animos ad Christi sectanda vestigia, verbo et exemplo hortabatur. Tandem prophetici spiritus, virtutum, et miraculorum fama praeclarus, in Conventu S. Juliani prope Aquilam ex hac vita migravit, anno salutis millesimo quingentesimoquarto, VII. Idus Augusti. Ejus animam Choris stipatam Angelicis recta euntem in Coelum, quaedam Dei Famula ipsius olim discipula

conspexit. Corpus vero, quod incorruptum, suavemque spirans odorem, in Ecclesia praedicti Conventus, honorifico sacello Beati Vincentii nomini postea dicato, servatur, summa Fidelium veneratione colitur: quem cultum ab immemorabili tempore ad aetatem usque nostram productum, et miraculis auctum, Pius Sextus Pontifex Maximus tertiodecimo sui Pontificatus anno rite probavit. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno de 2. loco.

DIE XIII. SEPTEMBRIS

In Festo S. Veronicae de Julianis Abbatissae Capuccinarum Tiferni. Duplex.

Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui Beatam Veronicam Virginem Passionis tuae signis mirabilem effecisti: concede propitius, ut carnem crucifigentes ad gaudia aeterna pervenire mereamur. Qui vivis.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

VEronica de Julianis antea Ursula dicta Mercatelli quod oppidum est Urbaniensis Dioecesis piis, honestisque parentibus nata ab ipsius incunabulis mira futurae Sanctitatis indicia praebuit. Nam infantula cum alias copiosum lac sugeret tribus hebdomadae diebus paucas guttulas mane et vespere gustabat. Vix sex menses nata

die Sanctissimae Trinitati dicato e sinu matris firmis pedibus prosiliit. Adhuc tenella hominem quemdam gravibus verbis ab injustitia deterruit. Familiari Jesu pueri, beatissimaeque Virginis consuetudine fruebatur, et aliquando divinus Puer ad eam cum lacrymis orantem, ut consolaretur, descendit; quandoque etiam ab ipsa Deipara illum accepit, praenunciato ejusdem cum Jesu spirituali sponsalitio, adjuncta arrha, bello scilicet, quod ipsi sustinendum fuit ab hominibus, atque infernis hostibus. Ad hoc Veronica, cum nondum pueritiam excessisset, sese accinxit humilitate summa, parique obedientia, et vehementi Christum Dominum pro nobis passum et crucifixum imitandi desiderio. Ut autem id uberius consequeretur ad Sanctimoniales Capuccinas Tifernates quae primaevam Sanctae Clarae regulam profitentur, superatis domesticis, externisque obstaculis, confugit.

Lectio v.

AB ipso tyrocinio perfectum aliquid et consummatum jam attigisse videbatur. Sustinuit invicto pectore a Daemone excitatas adversitates. Uberrimis interea gratiae suae donis Victricem Sponsam locupletabat Jesus. Sacris Stigmatibus eam fuisse signatam, itemque corona spinarum alte confixarum, et Passionis insignibus in Corde decoratam, ac jugibus pene extasibus recreatam, multiplici testimonio traditum est. Haec omnia amplam molestiarum segetem Veronicae pepererunt: non enim defuere qui id omne malis artibus tribuerunt, eamque dicerent poena omni, infamique supplicio dignissimam. Ferebat

haec alacriter fortissima Virgo; optabat etiam ut crudeliora quotidie in se congererentur pro Sponso suo Cruci affixo sustinenda. Traditur in tenebricosum carcerem, subjicitur infimae ex Sororibus, cui edicitur ut eam acerbe tractet: neque vitam amat nisi summis exagitatam tribulationibus; etsi quandoque desertam se ab Sponso ac veluti derelictam conquereretur, quod erat ei tormentum omnium amarissimum.

Lectio vi.

QUam Deo voverat Moderatoribus conscientiae suae obedientiam mirabili prorsus perfectione coluit. Diuturnissima jejunia ex obedientia transegit: neque vero extremum emisit spiritum diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori: quippe sciebat obedientia nullum Sponso suo esse gratius sacrificium. Triginta tribus annis, quibus Praesidis obire partes coacta est traditas ejus curae sorores ad omnem sanctitatem suo praecipue exemplo provexit. Ut patiendi votis fieret satis, apoplexiae, qua correpta fuit, accessere morbi prope omnes qui acerbissimi judicantur. Sustinuit omnia constanti animo triginta tres dies donec in Sponsi Jesu amplexus evolavit die nona Julii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo septimo, religiosae vitae quinquagesimo. Heroicarum denique virtutum cumulo, ac Miraculis illustrem Pius Septimus Pontifex Maximus Beatam nuncupavit, Gregorius vero Papa Decimus sextus solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis Anno millesimo octingentesimo trigesimo nono Sanctarum Virginum Collegio adscripsit.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium : Simile erit Regnum coelorum decem Virginibus *de comm. Virginum.*

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In festo Impressionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. P. N. Francisci. Dupl. 2. class.

Ad Vesperas.

Antiph. Crucis vox, *cum reliquis de Laud. ut infra Psal.* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi, Psal.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Capitulum. *Gal.* 6.

FRatres: mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Hymnus.

CRucis Christi mons Alvernae
Recenset mysteria ,
Ubi salutis aeternae
Dantur privilegia :
Dum Franciscus dat lucernae
Crucis sua studia.
Hoc in monte vir devotus
Specu solitaria ,
Pauper a mundo semotus
Condensat jejunia :
Vigil , nudus , ardens totus
Crebra dat suspiria.

Solus ergo clausus orans,
Mente sursum agitur,
Super gestis crucis plorans
Moerore conficitur:
Crucisque fructum implorans
Animo resolvitur.
Ad quem venit Rex e coelo
Amictu Seraphico;
Sex alarum tectus velo
Aspectu pacifico:
Affixusque crucis telo,
Portento mirifico.
Cernit servus Redemptorem,
Passum impassibilem,
Lumen Patris, et splendorem,
Tam pium, tam humilem:
Verborum audit tenorem,
Viro non effabilem.
Vertex montis inflammatur,
Vicinis cernentibus:
Cor Francisci transformatur
Amoris ardoribus:
Corpus vero mox ornatur
Mirandis Stigmatibus.
Collaudetur Crucifixus,
Tollens mundi scelera,
Quem laudat concrucifixus,
Crucis ferens vulnera,
Franciscus prorsus innixus
Super mundi foedera. Amen.

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.
℟. Signis redemptionis nostrae.

Ad Magnificat.

Antiph. Coelorum candor splenduit, novum sidus emicuit: sacer Franciscus claruit, cui Seraph apparuit, obsignans eum vulnere in volis, plantis, latere, dum formam crucis gerere vult corde, ore, opere.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Patris nostri Francisci Passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis, et regnas.

Ad Matutinum.

Invitat. Regi, quae fecit opera, Christo confiteantur: * Cujus in sancto vulnera Francisco renovatur.

Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Crucis arma fulgentia
  Vidit Franciscus dormiens,
  Christum dicentem audiens,
  Tua erunt haec omnia.
Crucis vis, et refugium
  Haec crucis arma praebuit,
  Quibus Franciscum induit
  Adversus adversarium.

Crucis sacrata lectio
Franciscum ter admonuit:
Dum ter librum aperuit,
Pro virtutis indicio.
Crucis Christi devotio
Francisci traxit studia,
Cunctaque cordis gaudia
Cum omni desiderio.
Crucis ut ad supplicia
Christum Franciscus positum,
Videt, et audit monitum:
Haec sequere vestigia.
Crucis haerens vestigiis,
Crucis fructum consequitur:
Quo corde, carne pungitur.
Et signatur indiciis.
Crucis virtus, et gratia,
Nos consignet in frontibus,
In membris, et in sensibus
Pro perenni custodia. Amen.

Antiph. Psalm. ✠✠. *trium Nocturnorum*, *et Lect. 1. Noct. ut in die Nativ. ejus iv. Octobr.*

In secundo Nocturno.

Ex Commentariis S. Bonaventurae Episcopi.
Post hunc titulum immediate legitur, Fidelis revera, *ut in Breviar.*

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 16.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.
Exposit. in Cap. 9. Lucae.

Ostenso qualiter Christus secundum fidem est cognoscendus, hic secundo ostenditur qualiter per crucem est imitandus, quia Fides mortua est sine operibus. Quoniam autem difficile est portare crucem, ideo ad hoc invitat quadruplici consideratione: scilicet ex consideratione sui exempli, proprii periculi, futuri judicii, et regni divini; ut si non movent monita, moveant exempla, vel saltem pericula, vel certe futura judicia, vel tandem promissa. Primo igitur invitat consideratione sui exempli, cum dixit, dicebat ad omnes: si quis vult ad me venire, idest, me imitari, ad quod non cogo, sed invito; ideo dicit: si quis vult. Si volueris mandata servare conservabunt te. Sequitur: apposuit tibi aquam, et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.

℟. Carnis spicam contemptus area, Franciscus terens, calcans terrae: * Granum purum, excussa palea, summi Regis intrat in horrea.

℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit, vita functus. Granum.

Bened. Cujus festum colimus, *etiam quando fit Offic. per annum.*

Lectio viii.

Si enim natura rerum persuadet currere, si non curris, non es dignus accipere; ideo dicit: si quis vult exemplum meum sequi, abneget semetipsum per omnimodam humilitatem, captivando sensum, affectum, et intellectum in Christi obsequium; quod notat in hoc, quod dicit, semetipsum, et hoc est consilium; humilia valde spiritum tuum: et hoc quidem necessarium est volenti sequi humilem Christum. Unde Gregorius in Glossa: Nisi quis a seipso deficiat, ad eum qui supra est, non appropinquat. Sed hoc non sufficit, et ideo addit: Et tollat crucem suam quotidie, per continuam austeritatem, ut possit dicere illud Pauli: Christo confixus sum cruci; et item: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes. Ed ideo dicitur etiam: Qui autem sunt Christi, carnem tuam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis.

℟. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℣. Ego enim Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Per quem. Gloria Patri. Per quem.

In Quat. Temp. ex 8. et 9. lect. fit una, et 9. lect. legitur de Homil. Feriae occurrentis cum ejus comm. in Laudibus.

Lectio ix.

Nota, quod dicit, quotidie, quia quotidie poenitentia crucis debet esse nova, et recens, ut dicat semper: dixi, nunc coepi, sicut Beatus Franciscus qui in morte dicebat, quod incipiebat bene facere: Fratres, incipiamus, ut proficiamus, quia nunc usque parum profecimus. Crux namque Christi renovativam habet naturam: unde Apostolus: Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Ad perfectam autem Christi imitationem non sufficit humilitas, et austeritas: sed etiam necessaria est paupertas. Ideo addit: et sequatur me, scilicet per altissimam paupertatem, qua nihil omnino volebat portare in via, ut recte, et expedite perveniat ad patriam. Ideo dicebat Petrus: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens: Tu te praepara, vade Francisce, repara domum meam, quae labitur.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

Antiph. Crucis verbum proponitur Fratribus per Antonium, et Franciscus ad ostium in crucis modum cernitur.

Antiph. Crucis arbor eximia, per os Francisci surgere apparens, cogit fugere draconem et daemonia.

Antiph. Crucis signum Tau littera fronti Frau-

cisci scribitur : quae varie distinguitur miranda lucis opera.

Antiph. Crucis magnum mysterium super Francisco claruit : dum signatus apparuit cruce duorum ensium.

Capitulum. Fratres, Mihi autem, *ut supra.*

Hymnus. Plaude turba, *ut in Laudibus diei Festi iv. Octobris.*

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.

℟. Signis redemptionis nostrae.

Ad Benedictus.

Antiph. O martyr desiderio, Francisce, quanto studio compatiens hunc sequeris, quem passum libro reperis, quem aperuisti. Tu contuens in aere Seraph in Cruce positum : ex tunc in palmis, latere, et pedibus effigiem fers plagarum Christi. Tu gregi tuo provide, qui post felicem transitum, dirae prius et lividae, glorificatae speciem carnis praetendisti.

Oratio. Domine Jesu Christe, *ut supra.*

Per Horas Antiph. de Laudibus Capit. et ℟℟. *brev. ut iv. Octobris.*

In 2. *Vesp. omnia ut in primis, praeter seq.*

Hymn. Decus morum, *ut in secundis Vesperis ejusdem diei Festi iv. Octobris.*

℣. Signasti Domine, *ut supra.*

Ad Magnificat.

Antiph. Crucis apparet hostia tensis in Cruce brachiis, sex alis tecta variis cum vultus elegantia : quae Francisci cor attrahit, augens ei

charismata, suaque sacra Stigmata in ejus carnem protrahit.

Oratio ut supra. Deinde fit comm. seq.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Josephi a Cupertino Conf. Ord. Minor. Convent. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

In primis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

Oratio.

DEus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perfice propitius, ut meritis, et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit et regnat.

In primo Nocturno.

De Epistola secunda Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio i. *Cap. 4.*

DEus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aperiamur, sed non

destituimur : persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

℟. Euge serve bone.

Lectio ii. *Cap.* 5.

SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam, et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes : si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam, et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati : eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri ; ut absorbeatur, quod mortale est, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino ; (Per fidem enim ambulamus, et non per speciem). Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.

℟. Justum germinabit.

Lectio iii. *Cap.* 12.

SI gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones, et revelationes Do-

mini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) captum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem (sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum; et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam et si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem autem dicam : parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me; datus est mihi stimulus carnis meae angelus Satanae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me : et dixit mihi : sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. ℟. Iste cognovit.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOsephus a Cupertino; Oppido in Salentinis Dioecesis Neritonensis, anno reparatae salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore praeventus, pueritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno, molestoque morbo patientissime tolerato, Deiparae Virginis ope liberatus, se totum pietatis operibus ac excolendis virtutibus dedit : utque Deo ad majora vocanti se intimius con-

jungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Coenobio Cryptulae, inter Laicos primum ob litterarum imperitiam, deinde inter Clericos Divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitae institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demum asperitatum, ac poenarum genere corpus afflixit, Spiritum vero sanctae orationis, altissimaeque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut Charitas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetate diffusa, miro, planeque singulari modo in dies coruscaverit. ℟. Honestum.

Lectio v.

ELuxit praecipue ardentissima ejus charitas in extasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo statim ab extasi eum revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur, dicere solitus, se ab ea veluti caecum circumduci, et mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchae ita aemulatus est, ut morti proximus Praelato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resignaret. Itaque mundo, sibique mortuus vitam Jesu manifestabat in carne sua, quae dum in aliquibus ex turpitudine obscoenum flagitium sentiebat, prodigiosum de se

efflabat odorem, indicium nitidissimae illius puritatis, quam immundo spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illaesam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimae Virginis Mariae, quam Matrem suam appellare consuevit, ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur. ℟. Amavit.

Lectio vi.

HÆc Beati Josephi sollicitudo a sua erga proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissime procuraret. Extendens pariter charitatem suam in proximum, sive pauperem, sive infirmum, sive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appeterent; nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate talia excipiebat, qua tot inter, ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacrae Inquisitionis jussu hac, illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem, et superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans, Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret: homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus

corpus injicerent, ubi memoria sui esset prorsus obliterata. At Deus, qui ponit humiles in sublime, quique Servum suum, dum viveret, coelesti sapientia, prophetia, cordium perscrutatione, curationum gratia, ceterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea praedixerat loco, ac tempore, anno aetatis suae sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartusdecimus Beatorum, et Clemens Tertiusdecimus Sanctorum fastis adscripsit; ejus autem Officium, et Missam Clemens Quartusdecimus ejusdem Ordinis ad Universam Ecclesiam extendit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 22.

IN illo tempore: loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, et Pharisaeis in parabolis, dicens: Simile factum est Regnum Coelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papae.

Lib. 2. *Homiliar. Hom.* 38. *Lib.* 2. *circa med.*

QUia jam, largiente Domino, nuptiarum domum, idest Sanctam Ecclesiam, intrastis, solerter, Fratres, aspicite, ne aliquid de mentis vestrae habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum

magno enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur : Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Quid, Fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus ? Si enim vestem nuptialem baptisma, vel fidem dicimus, quis sine baptismate, et fide has nuptias intravit? Eo enim ipso foris est, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem ? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in Sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandae sibi Ecclesiae nuptias venit. ℟. Iste est.

Lectio viii.

Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit : Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eamdem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit : sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe, Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso, et Sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mutare dissimulamus.

Congaudent Angeli, cum ad coelum assumuntur electi. Qua ergo mente haec spiritualia festa conspicimus, qui nuptialem vestem, idest charitatem, quae sola nos speciosa exhibet, non habemus? ℟. Sint lumbi.

Si hoc Festum venerit in Quatuor Temporibus, Lect. ix. legitur de Homil. Feriae occurrentis cum ejus comm. ad Laudes.

Lectio ix.

Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet, et inferiore vestis texitur: ita in duobus praeceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, et Proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut te ipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione Proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum, Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, ex toto; quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est, ut charitatis praecepta custodiat, quisque habere in nuptiis vestem nuptialem curat. Te Deum laudamus.

Ad Benedictus.

Antiph. Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni.

In secundis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

In festo S. Januarii Ep. et Mart. Princ. Patr. Civit. et Regni Neap. dup. 1. class.

(sine Oct. apud nos)

Omnia de comm. unius Mart. extra temp. Pasch. praeter ea, sequuntur.

In primis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Beatus Januarius, Praesul et Martyr inclytus, extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.

Oratio.

DEus, qui per Beati Januarii Martyris tui, atque Pontificis confessionem, et Sanguinem admirabili testimonio, ac triumpho Ecclesiae tuae Fidem illustrare dignatus es: quaesumus, ut ejusdem nos Fidei consortio, et patrocinio munitos, triumphi etiam, et gloriae participes efficias. Per Dominum.

Lect. 1. *Noct.* A Mileto, *de eodem comm.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JAnuarius, Beneventi Episcopus, Diocletiano, et Maximiano in Christianos saevientibus, ad

Timotheum Campaniae Praesidem ob Christianae Fidei professionem Nolam perducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem conjectus, ita illaesus evasit, ut ne vestimentum, aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Praeses accensus iracundia, Martyris corpus imperat usque eo distrahi, quoad nervorum compages, artuumque solvantur. Festus interea ejus Diaconus, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique, una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos pertrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches, et Acutius laici ad bestiis damnati detinebantur, simul conjiciuntur. ℟. Honestum.

Lectio v.

Postero die omnes in amphitheatro feris objecti sunt: quae naturalis oblitae feritatis ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox Beato Januario, lumen recepit: quo miraculo hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt. Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem, veritus maxime Principum decreta, Sanctum Episcopum cum Sociis gladio percuti jussit.

℟. Desiderium.

Lectio vi.

Horum Corpora finitimae urbes, pro suo quaeque studio certum sibi patronum ex iis apud

Deum adoptandi, sepelienda curarunt. Januarii corpus Neapolitani divino admonitu extulere: quod primo Beneventum, inde ad Monasterium Montis Virginis, postremo Neapolim translatum, et in majori Ecclesia conditum, multis miraculis claruit. Sed illud in primis memorandum, quod erumpentes olim e monte Vesuvio flammarum globos, nec vicinis modo, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes extinxit. Praeclarum illud quoque, quod ejus Sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, cum in conspectu Capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri, et ebullire, perinde atque recens effusus, ad haec usque tempora cernitur.

℟. Stola.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap. 10.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 34. in Matth. post init.

CUm Dominus omnem solicitudinem a Discipulorum cordibus ejecerit, et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis saecularibus alienatos, et ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa praedicit. Multa enim ex hac prae-

dictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum, ut ejus praescientiae vim ediscerent. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Praeterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique, ne cum ista sub ipsum passionis suae tempus audirent, nimium commoverentur.

℟. Corona.

Lectio viii.

JAm vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum praeliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipientibus ali juberet: non fecit hic dicendi finem, sed inexplicabilem virtutem suam proferens: etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum. Neque vero ovium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbae simplicitatem: sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur; et quamvis illae sint in medio luporum, et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptae fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint. ℟. Hic est.

Lectio ix.

MAjus certe, atque admirabilius est mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre, quam illos occidere: praesertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus

esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longe diversa facientes, tamquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus; etiamsi mille circumstent lupi, superamus, et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis Pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus.

Antiph. Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

In secundis Vesperis ad Magnificat.

Antiph. Liberasti me, Domine a rugientibus praeparatis ad escam, et a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus.

DOMINICA III. SEPTEMBRIS.

Festum Septem Dolorum B. M. V. dupl. maj.

Ad Vesperas.

Antiph. Quo abiit dilectus tuus, *cum reliquis de Laudibus ut infra.*

Psalm. Dixit Dominus, *et reliqui consueti, prout in Officio parvo ejusdem B. M. V.*

Capitulum. *Thren. 2.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? magna est velut mare contritio tua.

Hymnus.

O quot undis lacrymarum
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite
Cernit ulnis incubantem
Virgo mater Filium!
Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Ægra tingit lacrymis.
Centiesque, milliesque
Stringit arctis nexibus
Pecus illud, et lacertos,
Illa figit vulnera;
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eja, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coaevo Flamini,
Esto summae Trinitati
Sempiterna gloria,
Et perennis laus, honorque,
Hoc et omni saeculo. Amen.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.
℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ad Magnificat.

Antiph. Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decoloravit me sol: Filii Matris meae pugnaverunt contra me.

Oratio.

DEus, in cujus Passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virginis, et Matris Mariae doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui dolores ejus venerando recolimus, Passionis tuae effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit comm. Dominicae occurrentis.

Hymni, Complet. et aliarum Horarum terminantur sic

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ad Matutinum.

Invitat. Stemus juxta Crucem cum Maria Matre Jesu, * Cujus animam doloris gladius pertransivit.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

JAm toto subitus Vesper eat polo,
Et sol attonitum praecipitet diem,
Dum saevae recolo ludibrium necis,
Divinamque catastrophen.
Spectatrix aderas supplicio Parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum,

Natus funerea pendulus in Cruce
Altus cum gemitus dabat.
Pendens ante oculos Natus, atrocibus
Sectus verberibus: Natus hiantibus
Fossus vulneribus: quot penetrantibus
Te conficit aculeis?
Heu! sputa, alapae, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea,
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide!
Cunctis interea stat generosior
Virgo Martyribus: prodigio novo,
In tantis moriens non moreris Parens,
Diris fixa doloribus.
Sit summae Triadi gloria, laus, honor:
A qua suppliciter, sollicita prece,
Posco Virginei roboris aemulas
Vires rebus in asperis. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi, * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum, * et exurrexi quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me :* exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa : * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus, * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri.

Antiph. Multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psalmus 10.

IN Domino confido : quomodo dicitis animae meae : * transmigra in montem sicut passer ?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt : * justus autem quid fecit ?

Dominus in templo sancto suo : * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt : * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium, * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos ; * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit;* aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

Psalmus 30.

IN te Domine speravi non confundar in aeternum : * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam , * accelera , ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem , et in domum refugii : * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : * et propter nomen tuum deduces me , et enutries me.

Educes me de laqueo hoc , quem absconderunt mihi ; * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : * reducisti me Domine , Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates , * supervacue.

Ego autem in Domino speravi ; * exultabo , et laetabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam , * salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici ; * statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei , Domine , quoniam tribulor ; * conturbatus est in ira oculus meus , anima mea et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea :* et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea , * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium , et vicinis meis valde , * et timor notis meis.

Qui videbant me , foras fugerunt a me : * oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde,

Factus sum tamquam vas perditum : * quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi, Domine, * dixi : Deus meus es tu ; in manibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicorum meorum, * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua, * Domine, non confundar ; quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum:* muta fiant labia dolosa.

Quae loquuntur adversus justum iniquitatem * in superbia, et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, * quam abscondisti timentibus te !

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuae, * a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, * a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus : * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meae : * projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meae, * dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes Sancti ejus : * quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter, facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * omnes qui speratis in Domino.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ex Jeremia Propheta.

Lectio i. *Thern.* 1.

PLorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus : non est, qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus : subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt, quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me.

℟. Simeon vir justus, et timoratus dixit ad Mariam : * Tuam ipsius animam petransibit gladius.

℣. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens* Tuam ipsius animam.

Lectio ii. *Thren.* 2.

CUi comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te, Virgo Filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua : quis medebitur tui? Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per

viam, sibilaverunt, et moverunt caput suum super Filiam Jerusalem. Haeccine est urbs dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt; devorabimus.

℟. Surge, et accipe Puerum, et Matrem ejus et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Vocavi Filium meum ex Ægypto, ut veniat salus in Israel. Et esto ibi.

Lectio iii.

FEcit Dominus, quae cogitavit, complèvit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et laetificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum, super muros filiae Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. Fili, quid fecisti nobis sic? * Ego, et Pater tuus, * Dolentes quaerebamus te?

℣. Quid est, quod me quaerebatis? In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse. Ego, et Pater tuus. Gloria Patri. Dolentes.

In secundo Nocturno.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens im medio ventris mei.

Psalmus 21.

DEus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri: * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo, * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: * quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens, et rugiens.

Sicut aqua effusus sum, * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, * in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua

mea adhaesit faucibus meis, * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi, * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam, * et de manu canis unicam meam.

Salva me ex ore leonis, * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis; * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel, * quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me, * et cum clamarem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: * vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur, et convertentur ad Dominum: * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus, * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum, * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet, * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura, * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur quem fecit Dominus. Gloria Patri.

Antiph. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psalmus 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo, quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur, , adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut substinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus vitam meam, annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua, * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te : * ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu : * ut placeam coram Deo in lumine viventium. Gloria Patri.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum : * quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, * dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus.

Haec recordatus sum, et effudi in me animam meam : * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis, * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea ? * et quare conturbas me ?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi,* salutare vultus mei et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est,* pro-

pterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui,* super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam,* et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitae meae: * dicam Deo; susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea, * exprobraverunt mihi, qui tribulant me, inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus? * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi:* salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

℣. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de Duodecim Stellis.

Lectio iv.

MArtyrium Virginis tam in Simeonis Prophetia, quam in ipsa Dominicae Passionis historia commendatur. Positus est hic (ait Sanctus Senex de puero Jesu) in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam (ad Mariam au-

tem dicebat) pertransibit gladius. Vere tuam, o Beata Mater, animam pertransivit, alioquin nonnisi eam pertransiens carnem Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

℟. Jesum bajulantem sibi Crucem: * Sequebatur turba mulierum, quae plangebant, et lamentabantur eum.

℣. Filiae Jerusalem super vos ipsas flete, et super filios vestros. Sequebatur.

Lectio v.

Tuam ergo pertransivit animam vis doloris: ut plusquam Martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus: Mulier, ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, filius Zebedaei pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit?

℟. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariae, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus.

℣. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

Lectio vi.

NOn miremini, Fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariae visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Numquid non eum praescierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fideliter. Super haec doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatientem, quam Mariae filium patientem? Ille enim mori corpore potuit; ista commori corde non potuit. Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit: fecit et hoc charitas, cui post illam, similis altera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathaea, * Petiit corpus Jesu, quod de Cruce depositum, * Suo complexu Mater excepit.

℣. Dolens Sunamitis sinu, et genibus suis sustinuit mortuum filium. Petiit corpus Jesu.

Gloria Patri. Suo complexu.

In tertio Nocturno.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalmus 63.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor:* a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum, * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei, * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde.

Gloria Patri.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, * sed tu Domine usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam:* salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui:* in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur, et erubescant valde velociter. Gloria Patri.

Antiph. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Psalmus 45.

DEus noster refugium, et virtus; * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei, * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus non commovebitur, * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna, * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma, * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum, * susceptor noster Deus Jacob. Gloria Patri.

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.
℟. Ex vulneribus Christi.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. *Cap. 19.*

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi.

De Instit. Virg. Cap. 7.

Stabat juxta Crucem Mater, et fugientibus viris, stabat intrepida. Videte, utrum pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quae animum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per

quae sciebat, omnibus futuram Redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater Dolorum:* Dum Joseph Sindone Filium tuum involvit, et posuit eum in monumento ?

℣. Considerate, et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Dum Joseph.

Ex ejusdem Epistola 25. ad Ecclesiam Vercellensem prope finem.

Lectio viii.

MAria Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi Sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt, coelum tenebris obductum, refugisse solem, in Paradisum Latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod Victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibeat, quam quod regnum coeleste donabat. Nam si religiosum est, quod Latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur.

℟. Jn toto corde tuo gemitus Matris tuae ne obliviscaris; * Ut perficiatur propitiatio, et bedictio.

℣. Ave Princeps generosa, Martyrumque prima rosa, Virginumque lilium. Ut perficiatur. Gloria Patri. Ut perficiatur.

Lectio ix. de Homilia Dominicae occurrentis in cujus fine dicitur : Te Deum Laudamus.

Ad Laudes , et per Horas.

Antiph. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo declinavit dilectus tuus , et quaeremus eum tecum ?

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Laudibus Dominicae.*

Antiph. Recedite a me , amare flebo ; nolite incumbere , ut consolemini me.

Antiph. Non est ei species, neque decor, et vidimus eum , et non erat aspectus.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Antiph. Fulcite me floribus , stipate me malis , quia amore langueo.

Capitulum *Thren. 2.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem ? cui exaequabo te, et consolabor te Virgo Filia Sion? magna est velut mare contritio tua.

Hymnus.

Summae Deus clementiae ,
Septem Dolores Virginis ,
Plagasque Jesu Filii
Fac rite nos revolvere.
Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae ,
Quibus lavare sufficis
Totius orbis crimina.

Sit quinque Jesu vulnerum.
Amara contemplatio,
Sint et Dolores Virginis
Æterna cunctis gaudia.
Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Maria Virgo per virtutem tot dolorum.
℟. Fac nos gaudere in regno coelorum.

Ad Benedictus.

Antiph. Venite ascendamus ad montem Domini, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Oratio. Deus in cujus Passione, *ut supra.*

Deinde fit comm. Dominicae occurrentis.

Ad Primam in ℟. brev. dicitur: ℣. Qui passus es propter nostram salutem.

Ad Tertiam.

Antiph. Recedite a me.

Capitulum. Cui comparabo te, *ut supra.*

℟. *brev.* O vos omnes,* qui transitis per viam. O vos omnes.

℣. Attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus. Qui transitis. Gloria Patri. O vos omnes.

℣. Defecerunt prae lacrymis oculi mei.
℟. Conturbata sunt omnia viscera mea.

Ad Sextam.

Antiph. Non est ei species.

Capitulum *Thren. 1.*

PLorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus.

℟. *brev.* Defecerunt,* Prae lacrymis oculi mei. Defecerunt.

℣. Conturbata sunt omnia viscera mea. Prae lacrymis. Gloria Patri. Defecerunt.

℣. Fasciculus myrrhae, dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Nonam.

Antiph. Fulcite me floribus.

Capitulum *Thren. 2.*

DEduc quasi torrentem lacrymas per diem, et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

℟. *brev.* Fasciculus myrrhae:* Dilectus meus mihi. Fasciculus.

℣. Inter ubera mea commorabitur. Dilectus meus. Gloria Patri. Fasciculus.

℣. Anima mea liquefacta est.

℟. Ut dilectus locutus est.

In secundis Vesperis dicuntur omnia ut in primis.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitisti.

Ad Magnificat.

Antiph. Oppressit me dolor, et facies mea intumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt.

Oratio. Deus, in cujus Passione, *ut supra.*

Et fit comm. Dominicae occurrentis.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In festo B. Pacifici a S. Severino Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

LArgitor omnium bonorum Deus, qui Beatum Pacificum Confessorem tuum, eximiae patientiae et solitudinis amore decorasti: ejus nobis intercessione concede, ut per eadem vestigia gradientes, eadem assequamur et praemia. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PAcificus, Septempedae in Piceno nobilibus, piisque parentibus ortus, a primo aetatis diluculo indubia praebuit futurae Sanctitatis indicia. Quartum enim annum cum vix attigisset, mane sibi oblato pulmento cinerem saepe miscebat. A puerilibus oblectamentis alienus, et ceterorum puerorum consortia fugiens, domi ante sacras Imagines, aut in Ecclesiis orare, vel aliis pietatis operibus incumbere, in deliciis ha-

bebat. Parentibus vita functis, ab Avuncolo, qui eum susceperat educandum, praecipue vero a duabus ancillis ejus, ceu vile mancipium, durissime habitus, objurgationes, ludibria, contemptus, miti sempre animo tulit, eorumque omnium, in quibus viles faemellae peccaverant, tamquam auctor insimulatus, poenam alienae culpae humiliter, alacriterque luebat.

℟. Honestum.

Lectio v.

DEcimo septimo aetatis suae anno Franciscano Ordini inter Minores, quos Observantes Reformatos vocant, nomen dedit in Conventu Forani, et quae tirocinio pie, sancteque ibi expleto, solemniter vovit, fidelis deinde usque ad mortem perfectissime reddidit Domino Deo suo. Paupertatis enim, ac obedientiae fuit eximius cultor. Castitatis autem, quam illibate servavit, vigil adeo, rigidusque extitit custos, ut tybiarum suarum ulceribus per seipsum secreto mederi consueverit, aliorum operam viro castissimo respuente, ne aliquam sui corporis partem alteri ostenderet denudatam. Humilitate, patientia, solitudine summopere enituit. Austeritatibus ab Instituto praescriptis, jejùnia, flagella, cilicia, vigilias adjecit, et cum poenitentia vitae candorem usquequaque conjunxit.

℟. Amavit.

Lectio vi.

DIvino praesertim cum Sacrum faceret, sic aestuabat amore, ut in aera, facie ipsius interim coruscante, frequenter elevaretur, Spiritu prophetiae, aliisque charismatum donis fuit miri-

fice decoratus, inter quae memorabile illud fertur, quod Menochiae flumen imbre recenter auctum, aquis hinc inde divisis, sicco transivit vestigio. Signis denique, et virtutum fama praeclarus, ultimo morbo in Conventu Septempedano corripitur; quo patientissime tolerato, et Ecclesiae Sacramentis miro devotionis aestu susceptis, cum sublevatis oculis in Coelum gratias Omnipotenti Deo pro universis beneficiis ejus egisset, manibus supra pectus complicatis in formam Crucis, obdormivit in Domino, anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo primo, aetatis suae sexagesimo octavo. Viam universae carnis ingressus magis ac magis miraculis claruit: eumque Pius Sextus Pontifex Maximus Beatorum numero adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Lect. de 1. loc.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

In festo B. Luciae Virg. 3. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.*

Oratio.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut intercedente Beata Lucia Virgine tua: ut, ejus exemplo, et imitatione, tibi casto corpore servire, et mundo corde placere studeamus. Per Dominum.

Deinde fit comm. Ss. Cypriani, et Justinae Mart. ut in Breviar.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In 2. et 3. Noct. Lect. de eodem comm. 1. loc.

Pro Ss. Cypriano, et Justina Mart. Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XXVII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Elzearii Conf. 3. Ord. dupl. maj. Omnia ut in Breviar. praeter sequentia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 19.

IN illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisaei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Lib. 1. *de Serm. Dom. in monte.* *Cap.* 14.

BEatiora sane conjugia judicanda sunt, quae sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint: quia neque contra istud praeceptum sit, quo Dominus dimitti conjugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter vivit, et illud servatur, quod per Apostolum dicitur: Reliquum est, ut qui habent uxores, quasi non habentes sint. Alio loco Dominus dicit: Quisquis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper, et animam suam, non potest meus esse discipulus. Videri potest contrarium minus intelligentibus, quod hic vetat dimitti uxorem, alibi vero discipulum

suum negat esse posse quemquam, qui non oderit uxorem. ℟. Iste est.

Lectio viii.

QUomodo haec non sint contraria inter se, ipso duce ostendere facile est; sed ea intellecta implere difficile: quamquam, et hoc, eodem ipso adjuvante, facillimum. Regnum enim aeternum, quo discipulos suos vocare dignatus est, non habet hujusmodi necessitudines temporales. In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent, sed erunt sicut Angeli Dei in coelis. Oportet ergo, ut quisquis illius regni vitam jam hic meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas temporales necessitudines, quibus ista, quae transitura est, vita fulcitur, quae nascendo, et moriendo peragitur: quod qui non odit, nondum amat illam vitam, ubi nulla erit conditio nascendi, atque moriendi, quae copulat terrena conjugia. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

NEcesse est ergo, ut oderit ea, quae transeunt discipulus Christi in iis, quos secum ad ea venire desiderat, quae semper manebunt: et tanto magis haec in eis oderit, quanto magis eos diligit. Potest igitur Christianus cum conjuge concorditer vivere; sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundum veniam, non secundum imperium dicit Apostolus; sive filiorum propagationem, quod jam nonnullo gradu potest esse laudabile; sive fraternam societatem sine ulla corporum commixtione, habens uxo-

rem tamquam non habens ; quod est in conjugio Christianorum excellentissimum , atque sublime: ut tamen oderit in ea nomen temporalis necessitatis , et diligat spem sempiternae beatitudinis. Te Deum laudamus.

In secundis Vesperis fit comm. Festi seq.

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Bernardini de Feltria Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui ad fideles populos e vitiorum coeno liberandos, Beatum Bernardinum Apostolico zelo inflammare dignatus es : praesta quaesumus, ut ejus intercessione a peccatis omnibus, et periculis expediti, ad coelestem patriam perducamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BErnardinus illustri Tomitanorum genere Feltriae natus , jam ab adolescentia morum honestati ita litterarum studium adiunxit , ut judiciarios astrologos non sine civium admiratione, publice confutaverit, dignus propterea habitus , qui summis, tunc temporis , honoribus honestaretur. Patavii cum juri operam daret, praepropera duorum antecessorum morte perculsus , tum

Sancti Jacobi Piceni concionibus permotus ejus Familiae, quam Fratrum Minorum Sancti Francisci vocant, nomen dedit, a quo institutus brevi virtutum omnium apicem attigit. Sacrarum mox litterarum praesidio instructus, concionandi munus suscepit, in quo doctrina, sanctitate, exemplo talem se praebuit, qualem praefatus Sanctus Jacobus, et pridem Sanctus Bernardinus Senensis futurum praedixerant. ℟. Honestum.

Lectio v.

Assiduis vigintiquinque annorum curis Italiam fere universam nudipes peragratus, Urbes diris factionibus exagitatas ad concordiam redegit, privatas inimicitias sedavit, perditos hominum mores reformavit, ac uberrimos poenitentiae fructus ubique collegit, sermonem Deo confirmante frequentibus signis. Singulari in Deum, hominesque charitate exaestuans, multis in locis Collegia, ut egenis prospiceret, piasque Sodalitates ad divinum cultum promovendum instituit. Ægrotos cum privatis in domibus, tum maxime in Nosocomiis tantae curae sibi duxit, ut cum Patavinis peste laborantibus sedulo ministraret, eodem et ipse contagio correptus fuerit. Adversus iniquas Judaeorum usuras Montes, quos vocant pietatis, ubique per Italiam aut erexit, aut reparavit, ac firmissimis legibus communivit. Prophetiae dono auctus futura, et absentia prospexit; inter quae, parentis sui Feltriae defuncti obitum, eodem quo accidit, tempore commemoratus, Papiae cognovit, aliisque annuntiavit.

℟. Amavit.

Lectio vi.

SÆpe a nefariis hominibus, a Judaeis praesertim, quod eorum in Christianos saevitiem, perfidiamque insectaretur, qua veneno, qua igneis telis ad necem petitus, incolumis semper evasit, suos interim peramanter sicarios complectens. A nautis rejectus, pro navi proprio utens pallio, minime ab aquis madefacto super eo una cum socio genuflexus Padum trajecit. Mirum autem quanta polleret potestate in daemones, quos ab humanis passim corporibus ejiciebat, gratia praeterea curationum spectatus, magnam sanctitatis famam ubique consequutus est. Nonnulla Instituti sui Coenobia pro utroque sexu construxit, quem etiam Summi Pontifices Xystus Quartus, et Innocentius Octavus Romam accersitum ad populorum dissidia componenda interdum delegarunt. Tandem obitus sui die non semel praenuntiato, animam Deo reddidit, anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto in Sancti Jacobi Conventu Papiae suburbicario; ibique tota Urbe parentante, honorifice tumulatus est. Illum potissimum Ticinenses beneficiis, miraculisque in dies magis cumulati, sacrumque ejusdem Corpus centesimo, et ultra ab obitu anno, integrum, repertum publico semper cultu prosequuti sunt. Innocentius autem Decimus ipsum in Beatorum album cooptavit, ac tandem Pius Septimus propriis hisce lectionibus, ac Missa in universa Minorum Familia quotannis recolendum indulsit.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. ut in festo S. Joannis a Capistrano* XXIII *Octobris.*

FESTA OCTOBRIS

DIE I. OCTOBRIS.

In festo B. Ludovicae a Sabaudia viduae dup. min. Omnia de Communi praeter sequentia propria.

Oratio.

Deus, qui in Beata Ludovica per omnes vitae semitas traducta, singulare virtutis exemplum proposuisti, concede ut in via, qua nos vocasti ejusdem vestigia sequamur, et cum ipsa ad Te pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ludovica Beati Amadei Sabaudiae Ducis Filia a teneris annis in omnem pietatem instituta, ac propensa, futurae sanctitatis indicia praebuit. In ea jam tunc eluxere mira vitae innocentia, flagrans orationis studium, pudor singularis, rerumque humanarum despectus. Virginitatem Deo vovere dum cogitaret, Patruo obsequens, cujus fuerat post Parentum mortem commissa tutelae, Viro Principi a Cabillone nupsit. Virtutes, in quibus Virgo apprime se exercuerat, in ipso Conjugio impensissime excoluit. Mundi vanitate et Aulae illecebris abhorrebat, vitae sanctitate, monitis et oratione subditorum mores brevi ad meliorem formam reduxit, ac Virum suum, quem

in Deo summopere diligebat ad Evangelicam perfectionem sectandam mirifice inflammavit.

Lectio v.

Vigesimo septimo aetatis anno Viro orbata se totam Deo mancipavit. Religiosum Sacrarum Virginum Institutum ut primum liceret amplecti enixe desiderans, adduci numquam potuit ut alteras nuptias iniret. Modica familia, tenui victu, ac vestitu contenta, sub quo rudem Franciscalium tunicam gestabat, coelestium rerum contemplationi poenitentiae ac pietatis operibus sedulo vacans, in perfectionis christianae studio quotidie profecit. Ardentiori interim charitate fervescens profusa liberalitate, ingentes opes in pauperum, sanctimonialium, clericorum alimoniam erogabat, aegros, teterrimisque morbis infectos invisebat, solabatur, iisque etiam ministrabat.

Lectio vi.

Temporalibus tandem expedita negotiis divinae voluntati parens, suisque frustra obsistentibus, sancti propositi tenax ad Franciscalium Virginum familiam in Orbae coenobium laeta convolavit. Disciplinae regularis observantia, humilitate, obedientia, et omnimoda sui abnegatione brevi caeteris praestitit. Victum quaeritare ab aliis reprehendi, in seipsam saevire in deliciis habuit. Ferventissimo in Christum passum, et Virginem Matrem rapiebatur affectu, ac divinis interdum charismatibus affluebat. Gravi denique correpta morbo quadragesimo secundo aetatis anno, Ecclesiae Sacramentis rite pieque susceptis, die

quam praedixerat, vigesimaquarta Julii anni millesimi quingentesimi tertii ad coelestem Sponsum feliciter migravit. Sanctitatem ejus plurimis Deus prodigiis post mortem illustravit; hinc honorifico Sepulcro condi, ac Noseretum transferri aliisque Ecclesiastici cultus obsequiis decorari meruit. Quem rite probatum Gregorius Decimus sextus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo trigesimo nono ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto confirmavit, Officiumque proprium in illius honorem recitandum ad universam utriusque sexus Seraphici Ordinis Familiam Sacra eadem Congregatio extendit.

DIE III. OCTOBRIS.

Vigilia S. Patris Nostri Francisci.

Fit de festo Ss. Cosmae, et Damiani Mart. semid. Omnia ut in Breviar. die v. hujus, et fit comm. Translationis S. Clarae Virg.

Antiph. Duce coelesti numine.

℣. Ora pro nobis Beata Clara, *ut in ejus Natali die xii. Augusti.*

Oratio.

Deus, qui splendore virtutum Beatam Claram innumeris virginibus praelucere voluisti: ejus meritis, et intercessione concede; ut hic in luce semper ambulemus, et in coelesti regno perpetuo vultus tui hilaritate perfrui mereamur. Per Dominum.

Pro Vigilia S. P. N. Francisci Lectio ix. Hom. in Evang. Si quis vult, *ut in festo Stigmat. xvii. Septembris.*

In Laudibus fit comm. Vigiliae, Antiph. et ℣. *ut in Psalterio de Feria occurrente.*

Oratio.

Deus, qui superbis resistis, et gratiam praestas humilibus: da nobis, quaesumus, intercedente Beato Patre Nostro Francisco, cujus solemnia praevenimus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere; ut per ejus vestigia gradientes, dona tuae gratiae consequamur. Per Dominum.

Et comm. Translationis S. Clarae.

Antiph. Novum sidus emicuit.

℣. Ora pro nobis Beata Clara, *ut in ejus Natali* XII. *Augusti.*

Oratio. Deus, qui splendore, *ut supra.*

Vesperae de Seraphico S. P. N. Francisco sine ulla commemoratione.

DIE IV. OCTOBRIS.

In Solemnitate Seraphici S. P. N. Francisci Conf. Trium Ordinum Fundatoris. Dupl. 1. class. cum. Octava.

Ad Vesperas.

Antiph. Franciscus vir Catholicus, et totus Apostolicus Ecclesiae teneri fidem Romanae docuit: Presbyterosque monuit prae cunctis revereri.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. Psalm.* Laudate Dominum omnes Gentes.

Antiph. Coepit sub Innocentio, cursumque

sub Honorio perfecit gloriosum, succedens his Gregorius magnificavit amplius miraculis famosum.

Antiph. Hunc Sanctus praeelegerat in patrem, quando praeerat Ecclesiae Minori: hunc spiritu prophetico provisum, Apostolico praedixerat honori.

Antiph. Franciscus Evangelicum nec apicem vel unicum transgreditur, nec jota; nil jugo Christi suavius, hoc onere nil levius, in hujus vitae rota.

Antiph. Hic creaturis imperat, qui nutui subjecerat se totum Creatoris: quidquid in rebus reperit delectamenti, regerit in gloriam Factoris.

Capitulum *Galat.* 6.

FRatres, Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Hymnus.

PRoles de coelo prodiit,
Novis utens prodigiis,
Coelum caecis aperuit,
Siccis mare vestigiis.
Spoliatis Ægyptiis,
Transit dives, sed pauperis
Nec rem, nec nomen perdidit,
Factus felix pro miseris.
Assumptus cum Apostolis
In montem novi luminis,
In paupertatis praedia
Christo Franciscus intulit.

Fac tria tabernacula,
Petri secutus studia,
Cujus exemplo nobili,
Sponte reliquit omnia.
Legi, Prophetae, gratiae
Gratum gerens obsequium,
Trinitatis officium
Festo solemni celebrat.
Dum reparat virtutibus
Hospes triplex hospitium,
Et beatarum mentium
Dum templum Christo consecrat.
Domum, portam, et tumulum,
Pater Francisce, visita;
Et Hevae prolem miseram
A somno mortis excita. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Pater Francisce.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiph. O stupor et gaudium, o judex homo mentium, tu nostrae militiae currus et auriga. Ignea praesentibus transfiguratum Fratribus, in solari specie vexit te quadriga. In te signis radians, in te ventura nuntians, requievit spiritus duplex Prophetarum. Tuis adsta posteris, Pater Francisce, miseris: nam increscunt gemitus ovium tuarum.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Patris Nostri Francisci meritis, foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despice-

re, et celestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Invitat. Regi, quae fecit opéra Christo confiteantur : * Cujus in sancto vulnera Francisco renovantur.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

IN coelesti collegio
Novus collega colitur :
In Sanctorum rosario
Novellus flos producitur.
Franciscus florens gratia,
Forma factus humilium.
Laetus potitur gloria,
Sortis consors sublimium.
Metit de sparso semine
Plenae messis manipulum :
Fallens sub terrae tegmine
Nostrae salutis aemulum.
Hic carnis supercilium
Legi subjecit spiritus :
Mundum vicit et vitium,
Se victo victor inclytus.
Linguae manus praeambula
Verbo paravit semitam,
Et amplectuntur saecula
Doctrinam facto proditam.
In paupertatis praedio
Minorum plantans vineam :
Ostendit magisterio
Vitae vivendi lineam.

Ad aeternas divitias
Turbam allexit pauperum,
Quos ad coeli delicias
Lingua vocavit operum.
Vita, doctrina splenduit:
Resplendet et miraculis:
Sic praefuit, quod profuit,
Viva lucerna populis.
Summi Regis palatio,
Doctor loca discipulos,
Salutis privilegio
Christi praemuni famulos.
De tenebris miseriae
Sequaces stellae praeviae:
Quaeramus Patrem gratiae,
Consortes tandem gloriae. Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Hic vir de vanitatibus dum cogitat frequenter, divinis charismatibus praeventus est clementer.

Psalm. Beatus vir, qui non abiit, *cum reliquis de comm. Conf. non Pont.*

Antiph. Excelsi dexterae gratia in dies confortatus, coeli suspirat praemia, quae tenet nunc beatus.

Antiph. Edoctus autem coelitus per visum, per languores, mundi contemnit penitus thesauros, et honores.

℣. Posuit me sibi quasi in signum.

℟. Circumdedit me lanceis suis.

Lectiones ut in Breviar.

℟. *i.* Franciscus, ut in publicum cessat negotiari, in agrum mox Dominicum secedit meditari: * Inventum Evangelicum thesaurum vult mercari.

℣. Deum quid agat unicum consultans: audit coelicum insigne sibi dari. Inventum.

℟. *ii.* In Dei fervens opere, statim, ut sua vendidit, pauperibus impendere pecuniam intendit: * Quae gravi suo pondere cor liberum offendit.

℣. Quam formidante paupere Presbytero recipere, abjectam vilipendit. Quae.

℟. *iii.* Dum pater hunc persequitur, latens dat locum irae: constanter post aggreditur in publicum prodire: * Squalenti vultu cernitur, putatur insanire.

℣. Luto, saxis impetitur: sed patiens viri nititur, ut surdus pertansire. Squalenti. Gloria Patri. Squalenti.

In secundo Nocturno.

Antiph. Pertractum domi verberat plus cunctis furens pater: objurgans vincit, carcerat, quem furtim solvit mater.

Antiph. Jam liber patris furiae non cedit effraenati, clamans se voluntarie pro Christo mala pati.

Antiph. Ductus ad loci Praesulem sua patri resignat: nudusque manens, exulem in mundo se designat.

℣. Sagittae tuae infixae sunt mihi.

℟. Et confirmasti super me manum tuam.

Ex Commentariis S. Bonaventurae Episcopi.

Post hunc titulum immediate legitur : Franciscus de Vallis , *ut in Breviar.*

℟. *iv.* Dum seminudo corpore laudes decantat Gallice zelator novae legis, latronibus in nemore , * Respondet sic prohetice : Praeco sum magni Regis.

℣. Audit in nivis frigore projectus ; Jace rustice , futurus pastor gregis. Respondet.

℟. *v.* Amicum quaerit pristinum , qui spretum in coenobio tun cula contexit ; contemptu gaudens hominum,* Leprosis fit obsequio, quos antea despexit.

℣. Sub typo trium ordinum , tres nutu Dei praevio Ecclesias erexit. Leprosis.

℟. *vi.* Audit in Evangelio, quae suis Christus loquitur ad praedicandum missis. Hoc , inquit , est quod cupio ; * Laetanter his inuititur memoriae commissis.

℣. Non utens virga , calceo , nec pera, fune cingitur , duplicibus dimissis. Laetanter. Gloria Patri. Laetanter.

In tertio Nocturno.

Antiph. Cor verbis novae gratiae solicitus apponit , verbumque Poenitentiae simpliciter proponit.

Antiph. Pacem salutem nuntiat in spiritus virtute: veraeque paci sociat longinquos a salute.

Antiph. Ut novis Sancti merita remunerantur natis: his nova tradit monita, viam simplicitatis.

℣. Manus meae stillaverunt myrrham.

℟. Et digiti mei pleni myrrha probatissima.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 11.

IN illo tempore: Respondens Jesus dixit: Confitebor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Quae est 38. *alios* 39. *in Matth. sup. hoc Evang.*

COnfiteor tibi, hic significat gratias ago tibi. Gratias ago, inquit, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus: sapientes autem hic vocat Scribas et Pharisaeos. Haec porro dicit: ut discipulos alacriores reddat, et ostendat quanta consecuti sint piscatores, a quibus illi omnes exciderunt. Cum vero sapientes vocat illos, non de vera, et laudabili sapientia loquitur, sed de illa, quam videbantur ex gravitate consecuti; idcirco non dixit: revelasti stultis, sed parvulis, sinceris scilicet, ac simplicibus; ostenditque illos non solum quod digni non essent, sed jure etiam haec non esse adeptos. Nosque per omnia docet, ut a superbia fugiamus, sed simplicitatem sectemur. Deinde cum per ea, quae dixerat, ipsis desiderium indidisset, suamque ineffabilem potentiam demonstrasset, tunc vocavit illos, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.

℟. Carnis spicam contemptus area Franciscus terens, calcans terrea, * Granum purum, excussa palea, summi Regis intrat in horrea.

℣. Vivo pani morte junctus, vita vivit vita functus. Granum.

Lectio viii.

VEnite, non ut poenas expetam, sed ut peccata solvam; venite, non quod gloria vestra egeam, sed quod salutem vestram sitiam; ego, inquit, reficiam vos. Non ait, salvos faciam, sed quod multo magis est, in omni quiete constituam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum meum suave est, et onus meum leve. Ne timeatis, inquit, cum jugum auditis, suave quippe est; ne formidetis quia dixi onus, leve quippe est. Et quomodo supra dixit angusta est porta, et arcta via? Nempe si segnis sis, si remissus; at si supra dicta perfeceris, leve erit onus, idcirco nunc illud hujusmodi esse dixit. Quomodo autem id perficitur? Si fueris humilis, mansuetus, et modestus.

℟. De paupertatis horreo Sanctus Franciscus satiat turbam Christi famelicam, in via ne deficiat: * Iter pandit ad gloriam, et vitae viam ampliat.

℣. Pro paupertatis copia regnat dives in patria. * Reges sibi substituens, quos hic ditat inopia. Iter pandit. Gloria Patri. Iter pandit.

Lectio ix.

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Ita et Paulus suadet dicens: Momentaneum, et leve tribulationis, mire, et supra modum aeternum gloriae pondus operatur. Et quomodo leve est onus, inquies, cum dicat: Nisi quis odio habuerit patrem et matrem, et qui non tollit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus, et qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus: cum jubeat ipsam quoque animam odio habere? Te Paulus doceat dicens: Quis nos separabit a charitate Christi tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Doceant te, qui a consessu Judaeorum post mille verbera redibant gaudentes, quia digni habiti fuerant pro nomine Christi contumeliam pati.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Sanctus Franciscus praeviis orationum studiis, quid faciat instructus: non sibi soli vivere, sed et aliis proficere vult Dei zelo ductus.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis.*

Antiph. Hic praedicando circuit, et quem non homo docuit, fit doctis in stuporem; virtutum verba loquitur, novumque nova sequitur militiae ductorem.

Antiph. Tres ordines hic ordinat: primumque

Fratrum nominat Minorum pauperumque fit Dominarum medius: sed Poenitentum tertius sexum capit utrumque.

Antiph. Doctus doctrice gratia, doctus experientia, quae sunt perfectionis, haec Fratres docet omnia, tam factis, quam frequentia melliflui sermonis.

Antiph. Laudans laudare monuit, laus illi semper adfuit, laus, inquam, Salvatoris: invitat aves, bestias, et creaturas alias ad laudem Conditoris.

Capitulum. Fratres, Mihi autem, *ut supra.*

Hymnus.

Plaude, turba paupercula,
Patre ditata paupere:
Laudis propina pocula
Sacro depressa ubere.
Hic simplex, rectus, humilis,
Pacis cultor amabilis,
Lumen in vase fictili,
Ardens, lucens in fragili.
Vili contectus tegmine,
Sancto calescens flamine,
Inter Coeli charismata,
Christi recipit Stigmata.
Carnem, mundumque conterens,
Hostes malignos proterens,
Auream victor meruit
Aureolam, dum docuit.
Pauper, nudus egreditur,
Coelum dives ingreditur:

Spargit virtutum munera :
Ægris profligat vulnera.
Verorum Pater pauperum ,
Nos pauperes fac spiritu ,
Consortes redde Superum ,
Ereptos ab interitu.
Patri , Nato , Paraclito
Decus , honor , et gloria ,
Sancti sint hujus merito
Nobis aeterna gaudia. Amen.

℣. Ora pro nobis , Beate Pater Francisce.
℟. Ut digni , etc.

Ad Benedictus.

Antiph. O martyr desiderio , Francisce, quanto studio, compatiens hunc sequeris, quem passum libro reperis , quem aperuisti. Tu contuens in aere Seraph in Cruce positum , ex tunc in palmis , latere , et pedibus effigiem fers plagarum Christi. Tu gregi tuo provide , qui post felicem transitum , dirae prius et lividae , glorificatae speciem carnis praetendisti.

Oratio. Deus , qui Ecclesiam tuam, *ut supra.*

Ad Tertiam.

Antiph. Hic praedicando circuit.

Capitulum. Fratres , Mihi autem , *ut supra.*

℟. *brev.* Posuit me sibi : * Quasi in signum. Posuit.

℣. Circumdedit me lanceis suis. Quasi. Gloria Patri. Posuit.

℣. Sagittae tuae infixae sunt mihi.

℟. Et confirmasti super me manum tuam.

Ad Sextam.

Antiph. Tres ordines hic ordinat.

Capitulum. *Galat.* 6.

Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.

℟. *brev.* Sagittae tuae * Infixae sunt mihi. Sagittae.

℣. Et confirmasti super me manum tuam. Infixae sunt. Gloria Patri. Sagittae.

℣. Manus meae stillaverunt myrrham.

℟. Et digiti mei pleni myrrha probatissima.

Ad Nonam.

Antiph. Laudans laudare monuit.

Capitulum. *Galat.* 6.

De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

℟. *brev.* Manus meae * Stillaverunt myrrham. Manus meae.

℣. Et digiti mei pleni myrrha probatissima. Stillaverunt. Gloria Patri. Manus meae.

℣. Cor meum, et caro mea.

℟. Exultaverunt in Deum vivum.

In secundis Vesperis.

Antiph. Sanctus Franciscus, *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmi et Capitulum, ut in primis Vesperis.

Hymnus.

DEcus morum, dux Minorum
Franciscus tenens praemium,
In te vite, datur vitae
Christe Redemptor omnium.
Plaudat frater, regnat Pater
Concivis coeli civibus:
Cedat fletus, psallat coetus,
Exultet coelum laudibus.
Demptum solo, datum polo
Signorum probant opera,
Ergo vivit, nam adivit
Æterna Christi munera.
Pro terrenis votis plenis,
Reportat dona gloriae;
Quem decoras, quam honoras
Summae Deus clementiae.
Hunc sequantur, huic jungantur
Qui ex Ægypto exeunt;
In quo duce, clara luce,
Vexilla Regis prodeunt.
Regis signum, ducem dignum
Insignit manu latere:
Lux accedit, nox recedit,
Jam lucis orto sidere.
Est dux fidus, clarum sidus
Ducit, relucet, devia

Devitando, demonstrando
Beata nobis gaudia.
Mina gregem dux ad Regem
Collisor hostis callidi,
Nos conducas, et inducas
Ad coenam Agni providi. Amen.

℣. Ora pro nobis, Beate Pater Francisce.
℟. Ut digni, etc.

Ad Magnificat.

Antiph. O virum mirabilem in signis et prodigiis, languores cum daemoniis quoslibet pellentem: dat aurem suis avium praedicans silvestrium verbis intendentem. O vitam laudabilem, qua fidem sic magnificat: sed et multos vivificat mortuos defunctus. Francisce, nos caelestium fac consortes civium, quibus es conjunctus.

Oratio ut supra, et fit comm. seq.

DIE V. OCTOBRIS.

In festo B. Joannis a Pinna Conf. 1. Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. Ad Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

Deus, qui Beatum Joannem Confessorem tuum ad tua promissa currentem per omnes vitae semitas mirabiliter traduxisti, eadem nobis miseratione concede, ut inter mundanas varietates tua semper mandata sectando, ad aeternae beatitudinis portum pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. de Script. occur.

Lectio iv.

JOannes in Oppido Pinnae Sancti Joannis Firmanae Dioecesis honestis parentibus ortus, tanta spiritus simplicitate, atque innocentia morum effloruit, ut supernae dulcedinis benedictionibus a Deo praeventus, caelestibus communicationibus, adhuc adolescens illustrari meruerit. Pulcherrimi enim, planeque divini cujusdam pueri, qui sibi inopinato apparuit, voce commonitus, vias Domini deinceps terendas mirabiliter edocetur. Qua voce suavissime recreatus, ac veluti alter effectus, ut insignem quemdam S. Francisci Assisinatis discipulum concionantem adiret, atque nascentis illius Ordinis Instituto nomen daret, divinitus intellexit. Sponsione insuper accepta, futurum, ut post longum emensum iter ad Coeli patriam evocaretur. ℟. Honestum.

Lectio v.

REcinetum in Piceno, ubi tunc temporis Provinciae Comit a agebantur, incunctanter pergens, ut praefati Ordinis Sodalitio adscisceretur, enixis precibus postulavit. Voti compos factus, atque inter primaevos illos Beati Francisci asseclas cooptatus, eximiae Sanctitatis splendor evasit, dignus exinde judicatus, qui in Galliam Narbonensem ad excitanda Fratrum Minorum Monasteria, et Evangelicam vivendi rationem propagandam, destinaretur. Viginti et quinque annos inibi commoratus, longanimitate, mansuetudine, vitaeque puritate incolas illos, in maximam sui admirationem, et amorem traxit.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

TÆdio tandem affectus, quod longi itineris semitam coelitus praenunciatam longiorem evadere, ac Divinae pollicitationis exsolutionem hactenus distrahi conspiceret, sub arbore constitit, cupitque dissolvi. Adfuit vero Dominus, qui Joannem semel, et iterum consolatus, tum de coelesti assequenda gloria, tum de piacularibus poenis in hac vita solvendis indubium, tutumque fecit. In Picenum interea reversus, altissimae contemplationis, miraculorum, et prophetiae dono claruit. Denique plurimis, iisque acerbissimis toleratis doloribus, amantissimique Domini praesentia denuo roboratus, in ipsius osculo beate obdormivit. Ejusdem Corpus in Patria honorifice conditum perenni cultu, ac immemorabili gaudet. Quo quidem cultu rite probato, Pius Septimus Pontifex Maximus ipsius Beati Officium, et Missam celebrandam indulsit.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Nolite timere, *ut in comm. Conf. non Pont. de* 2. *loco.*

℣. Iste homo.

DIE VII. OCTOBRIS.

In festo S. Mariae de Cervellione Virg. Ord. B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum. Dupl. min. Omnia de comm. Virg. praeter ea quae sequuntur.

Ad Magnificat.

Antiph. Flagellis, et catena Maria corpus domabat: silentio, et abstinentia animum custodiebat: orationibus incessanter instabat: docens

Christi Sponsas vas corruptibile in sanctificatione, et honore possidere.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut intercedente Beata Maria famula tua de praesentis vitae fluctibus educti, ad aeternae salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Maria, nobili Familia de Cervellione, Barcinonae in Hispania nata, a parentibus in Dei timore primis ab annis enutrita, virginitatem suam, cum decem et octo esset annorum, illi devovit. Ejus vivendi ratio erat in publicum rarius prodire, aegrotantibus domesticis sedulo adesse, et in Nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annum trigesimum agens, defuncto patre, habitum Ordinis Sanctae Mariae de Mercede, prima ex Foeminis suscipiens, Sanctimonialibus ejusdem Ordinis Ducem, Magistram, et exemplar se praebuit, ac distributo patrimonio in Redemptionem Captivorum, professionem in eodem Ordine, una cum voto de laborando pro redimendis Captivis, emisit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

MAtre e vivis sublata, cum aliquot honestis foeminis ejusdem Instituti piam, sanctamque vitam peregit: solita quotidie mulierum a suis Fratribus redemptarum, ac Burcinonam advenientium pedes in Hospitali domo lavaret; quinquies in hebdomada Sacra Eucharistia refici, terque jejunare solo pane, et aqua contenta: quotidianis flagellis insuper, et ferrea catena corpus suum affligens. Silentium, quod mira observantia colebat, inanibus verbis numquam infregit, ac parcius indulgens somno, expetebat ab hujusmodi necessitate liberari, ut illo solo frueretur incessanter, quo jucundantur Coeli, et Angeli laetantur. Quod diurni temporis supererat ab oratione, et pietatis exercitiis, in pauperes juvandos impendebat, nullum officii genus praetermittens, quo afflictos consolaretur, oppressos liberaret, et vinctos educeret de carceribus. ℟. Dilexisti.

Lectio vi.

FUturas maris tempestates praenuntiabat: illasque saepe suis orationibus sedavit: visa aliquoties super undas incedere, quo Fratres Captivorum redemptores, aliosque in mari periclitantes servaret incolumes; unde ei Mariae de Subsidio, vulgo de Socos nomen est inditum. Denique post multa virtutum insignia Barcinone migravit ad Dominum, decimotertio Kalendas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo.

Ejus Corpus, ex quo suavissimus odor manabat, sepultum est in Ecclesia Fratrum Ordinis sui : quod nonagesimo post anno, Episcopo Barcinonensi, Petro Aragoniae Rege, caeterisque Aulae, et Civitatis Primatibus adstantibus, solemni pompa elevatum, incorruptum repertum fuit, ac decentiori loco, ubi religiose colitur, asservatum.

℟. Afferentur Regi.

In 3. *Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang.* Simile est regnum coelorum decem Virginibus, *de comm. Virg.*

Ad Benedictus.

Antiph. Adducentur in laetitia, et exultatione Regi Domino Virgines post Mariam, ut in sanctitate, et justitia serviant illi, et quocumque ierit, ipsum Agnum sequantur.

In secundis Vesperis. Ad Magnificat.

Antiph. Mare, et venti Mariae obediunt, Angelici candoris virtute pollenti : aquae multae cesserunt ardori charitatis ejus.

Lect. ix. S. Marci Papae et Conf. cum comm. Octav., ac Ss. Sergii, et Soc. Mm.

DIE XI. OCTOBRIS.

Octava Seraphici S. P. N. Francisci. Dupl. min. Omnia ut in Festo die IV. Octobris praeter sequentia.

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Ex Commentariis S. Bonaventurae Episc. *In Vita, seu Legenda Min. de transitu mortis.*

Lectio iv.

Ipse transitum, *ut in Breviar. XI. Octobris.*

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii, *ut in Brev. hac die.*

DIE XII. OCTOBRIS.

In festo S. Seraphini de Monte Granario Conf. Ord. Min. Capucc. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in corde Beati Seraphini amoris tui flammas excitasti: ejus, quaesumus, nobis intercessione concede, ut illius vestigia sectantes, iisdem ardoribus accendamur. Per Dominum.

Et fit comm. diei Octav. S. P. N. Francisci.

Antiph. O virum mirabilem.

℣. Ora pro nobis, etc.

Orat. Deus, qui Ecclesiam tuam, *ut in Fest.*

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SEraphinus de Monte Granario, ab Asculo dictus, humili, sed honesto genere natus, ab ineunte aetate plura dedit futurae sanctitatis indicia. A puero pascendis gregibus addictus pietatem impense coluit, et solitudinis, atque contemplationis studiosissimus fuit. Cum semel ad Sacram Laurentanam Ædem iter haberet, ut Deiparam Virginem, quam plurimum diligebat, et

a qua plurimum diligebatur, veneraretur, Potentiae flumen, aquarum copia tumidum semel atque iterum, mirantibus Sociis, sicco pede pertransiit. Post Patris obitum, Fratrem natu majorem, asperrimae indolis hominem, a quo assiduis conviciis, verberibusque divexabatur, diu patientissime toleravit, donec ferventius Deo famulari exoptans, anno aetatis suae decimosexto inter Laicos Fratres Ordinis Capuccinorum cooptatus est: in quorum tyrocinio virtutibus omnibus ita excelluit, ut senioribus ipsis, probatisque viris admirationi esset, et exemplo.
℟. Honestum fecit.

Lectio v.

IN religiosa virtutum palaestra in illud potissimum Seraphinus incubuit, ut ad servioris Instituti leges mores suos componeret, jugiter Orationi vacaret, edomitamque voluntariis jejuniis, aliisque corporis cruciatibus, carnem spiritui plene subjiceret. Paupertatis proinde amator fuit eximius, vigilantissimus castitatis custos, obedientiae demum cultor prope singularis. Prae ardentissima in Deum charitate, infidelium regiones adire cupiit, fusoque pro Christo sanguine irrigare. Quodlibet autem, vel leve piaculum adeo horrebat, ut umbram etiam culpae reformidaret. Christi patientis poenas non sine uberrimis lacrymis jugi meditatione recolere consuevit: unde tantum in eo alienae salutis studium exarsit, ut multis, mirisque modis perditos homines in virtutis viam revocare numquam destiterit. Eam in pauperes misericordiam exercuit, ut non solum, quoquo modo posset, eorum

levaret inopiam, verum etiam in summa annonae charitate ipse sese quarta dumtaxat panis exigui parte reficeret, ut cibum reliquum pauperibus erogaret. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Tot, tantasque virtutes prophetiae, scrutationis cordium, aliorumque supernorum charismatum excellentia, ac multitudo exornavit. Mira prae ceteris in eo enituit gratia curationum: solo enim adhibito Crucis signo aegrotos fere innumeros pristinae reddidit sanitati. Dum tamen tot virtutum, ac prodigiorum fama longe lateque diffusa, Seraphinum omnes plurimi facerent ac venerarentur, ea is erat humilitate, ut nequiorem se neminem putans, contemni optaret ab omnibus, et contumeliis onerari. Tandem sexagenario major, cum gravi aegrotaret morbo, brevi se moriturum divinitus praenoscens, Ecclesiae Sacramentis muniri petiit: quibus rite, sancteque susceptis, anno millesimo sexcentesimo quarto, vitae suae cursum feliciter consummavit. Ejus mortem clamantes per Urbem pueri mirabiliter evulgarunt. Asculi vero in Piceno, ubi ejus Corpus honorifice asservatur, Cives statim post obitum publico venerati sunt cultu, quem Apostolica Sedes, instituto judicio, ratum mox habuit. Denique virtutibus, novisque miraculis rite probatis, Clemens Decimustertius Sanctorum Fastis eumdem adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. in Evang. Nolite timere, *de eodem comm. 2. loco.*

Vesp. de seq. cum comm. praeced.

DIE XIII. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Danielis, et Soc. Mart. 1. Ord. dupl. 2. class. Omnia de comm. plurim. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

FRaterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona laetificet: quae, et fidei nostrae praebeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

Et fit comm. S. Seraphini.

In 1. Noct. Lect. Fratres debitores, *de eodem comm.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ANno salutiferi Christi supra millesimo ducentesimo vigesimo septimo, sexto Idus Octobris, dum aurea illa nascentis Ordinis Seraphici tempora feliciter promicarent, vir sanctitudinis venerandae, Frater Daniel, Minister Calabriae, cum sex aliis Fratribus, videlicet Angelo, Samuele, Domno, Leone, Hugolino, atque Nicolao, Martyrii lauream insigniter adeptus est. Hi a Fratre Elia, Generali Ministro, Patrisque Francisci tunc agente vices, obtenta facultate, e Tusciae plagis, ducente Christo, Septem Saracenorum urbem perrexerunt. Illuc cum pervenissent, procedentes in urbis medium, libera voce Christum solum esse mundi Salvatorem unanimes conclamant. Verum postquam aliquamdiu ea, quae sunt Christianae fidei, veritatisque Evangelicae, palam protestati fuissent, taxassentque miseran-

dam eorum vecordiam, ac caecitatem a furentibus turbis arrepti, flagris caesi sunt, variisque affecti contumeliis, ac opprobriis. Quae illi propter Christum omnia nihil pendentes, illorum demum domino sistuntur. ℟. Sancti tui.

Lectio v.

Eos tyrannus tonsis de religioso more capillis, intrepidis vultibus, ore etiam imperioso, ac fervido loquentes aspiciens, mente captos arbitratur. Jubet proinde in carcerem eos conjici, ferreisque vinculis constringi. Octavo autem die ad se deductos interrogat, velintne, quae de Christiana fide prius asseverassent, irrita esse, suoque Deo abnegato, ad Mahumeticae legis ritum converti? At vero, quae dixerant, illi constabilientes validis rationibus, Spiritu veritatis aspirante, ostendunt nullum absque Baptismo, uniusque Redemptoris hominum Christi Jesu suffragio, ad salutem aditum esse. Eos igitur Arbaldus judex capite animadverti decrevit. Tunc lata sententia, Beatus Pater Daniel socios, filiosque suos exhilarans, dixit: Gaudeamus in Domino, fidelissimi commilitones; festivisque diem hunc gaudiis consecremus. Adstant enim Angeli, animas nostras e corporis ergastulo solutas, in empyrea regna, cum palmae trophaeo deducturi. Nos hodie in suam sortem candidati Martyres excipient. En nobis coelorum janua aperta est. Quid moramur, quo minus ad eorum beatitudinem convolemus? ℟. Verbera carnificum.

Lectio vi.

Porro ubi suis nudati sunt vestimentis, quasi forent ad lautissimas epulas invitati, e regia mirum in modum exultabundi ad supplicii locum properant. Haudquaquam facile sit relatu, quam pias Deo tunc personent laudes, quamque impense gratias agant. At ubi quoad licuit, Deo supplicavere, suasque animas commendavere, spiculatori tandem flectentes cervicem, capitis obtruncatione, gloriosam pro Christi fide mortem paciscuntur. Eorum itaque conquassatis capitibus, cadavera crudelissime collisa, membratimque discerpta, magno fuere pueris, ac ceteris ludibrio, utpote quae per urbem turpiter raptata sint, ac dilaniata: sed postea a Christianis collecta, congruo honore condita fuerunt in Alphondega Massiliensi. Quae post haec cum Regis Portugalliae filius dono accepisset, in Hispaniam transtulit; ubi horum suffragiis varia plerisque impenduntur beneficia, crebris usquequaque miraculis suae probitatis fidem non vulgarem facientibus. ℟. Tamquam aurum.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Descendens Jesus, *ut in comm. plurim. Mart.* 2. *loco.*

℟. *viii.* Haec est vera fraternitas.

DIE XIV. OCTOBRIS.

In Festo S. Callisti Papae, et Mart. dup. min. Omnia de comm. unius Mart. praeter sequentia.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

Oratio.

DEus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per Sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

CAllistus Romanus praefuit Ecclesiae Antonino Eliogabalo Imperatore. Constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. Ædificavit Basilicam Sanctae Mariae Transtyberim, et in Via Appia vetus Coemeterium, in quo multi Sancti Sacerdotes, et Martyres sepulti sunt, ampliavit; unde ab eo Callisti Coemeterium appellatur. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

EJusdem pietatis fuit, quod Beati Celepodii Presbyteri et Martyris Corpus jactatum in Tyberim conquiri diligenter curavit, et inventum honorifice sepelivit. Palmatium consulari, Simplicium senatoria dignitate illustres, Felicem, et Blandam, qui deinde omnes martyrium subie-

re, cum baptismo lustrasset, missus est in carcerem, ubi privatum militem ulceribus plenum, admirabiliter sanitati restitutum, Christo adjunxit: pro quo idem, recens adhuc a fide suscepta, plumbatis usque ad mortem caesus occubuit.

℟. Desiderium.

Lectio vi.

SEdit Callistus annos quinque, mensem unum, dies duodecim. Ordinationibus quinque, mense Decembri, creavit Presbyteros sexdecim, Diaconos quatuor, Episcopos octo. Post longam famem, crebrasque verberationes praeceps jactus in puteum, atque ita martyrio coronatus sub Alexandro Imperatore, illatus est in Coemeterium Calepodii Via Aurelia, tertio ab Urbe lapide, pridie Idus Octobris. Ejus postmodum Corpus in Basilicam Sanctae Mariae Transtyberim, ab ipso aedificatam, delatum, sub Ara majori, maxima veneratione colitur.

℟. Stola jucunditatis.

In 3. *Noct. Homil. S. Hilarii Episcopi in Evang.* Nihil est opertum, *ut in Breviar. hac die.*

DIE XIX. OCTOBRIS.

In festo S. Petri de Alcantara Conf. 1. *Ord. dupl.* 2. *class. Omnia ut in Breviar. praeter seq.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PEtrus Alcantarae in Hispania nobilibus parentibus natus, a teneris annis futurae sanctitatis indicia praebuit. Decimosexto aetatis anno

Ordinem Minorum ingressus, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Tum munus Concionatoris ex obedientia exercens, innumeros a vitiis ad veram poenitentiam traduxit. Primaevum Sancti Francisci Institutum exactissime reparare cupiens, ope divina fretus, et Apostolica munitus auctoritate, augustissimum, et pauperrimum Coenobium Observantium Discalceatorum juxta Pedrosum fundavit, quod vitae genus asperrimum ibi feliciter coeptum, per diversas Hispaniae provincias usque ad Indias mirifice propagatum fuit. Sanctae Teresiae, cujus probaverat spiritum, in promovenda Carmelitarum reformatione adjutor fuit. Ipsa a Deo edocta, quod Petri nomine quisquam nihil peteret, quin protinus exaudiretur, ejus precibus se commendare, et ipsum adhuc viventem Sanctum appellare consuevit. ℟. Minister Christi.

Lectio v.

PRincipum obsequia, qui ipsum velut oraculum, consulebant, summa humilitate declinans, Carolo Quinto Imperatori a confessionibus esse recusavit. Paupertatis rigidissimus custos, una tunica, qua nulla deterior esset, contentus erat. Puritatem ita coluit, ut a Fratre in extremo morbo sibi inserviente, nec leviter quidem tangi passus sit. Corpus suum perpetuis vigiliis, jejuniis, flagellis, frigore, nuditate, atque omni genere asperitatum in servitutem redegit, cum quo pactum inierat, ne ullam in hoc saeculo ei requiem praeberet. Charitas Dei, et proximi in ejus corde diffusa tantum quandoque excitabat incen-

dium, ut e cellae angustiis in apertum campum prosilire, aërisque refrigerio conceptum ardorem temperare cogeretur. ℟. Virtute multa.

Lectio vi.

GRatia contemplationis admirabilis in eo fuit, qua cum assidue spiritus reficeretur, interdum accidit, ut ab omni cibo et potu pluribus diebus abstinuerit. In aëra frequenter sublatus, miro fulgore coruscare visus est. Rapidos fluvios sicco pede trajecit. Fratres in extrema penuria, coelitus delata alimonia cibavit. Baculus ab ipso terrae defixus, mox in viridem ficulneam excrevit. Cum noctu iter ageret, densa nive cadente, dirutam domum sine tecto ingressus est, eique nix in aëre pendula pro tecto fuit, ne illius copia suffocaretur. Dono prophetiae, ac discretionis spiritum imbutum fuisse, Sancta Teresia testatur. Denique annum agens sexagesimum tertium, hora qua praedixerat, migravit ad Dominum mirabili visione, Sanctorumque praesentia confortatus. Quem eodem momento in coelum ferri Beata Teresia procul distans vidit, cui postea apparens dixit: O felix poenitentia, quae tantam mihi promeruit gloriam! Post mortem vero plurimis miraculis claruit, et a Clemente Nono Sanctorum numero adscriptus est.

℟. Cum introisset.

DIE XX. OCTOBRIS.

In festô S. Joannis Cantii Conf. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter seq.

Oratio.

Da, quaesumus, omnipotens Deus, ut Sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

Ubi aliqua de causa contingat, ut de hoc Festo in primis Vesperis fiat saltum a Capitulo, dicitur in iis Hymnus Gentis Polonae, *usque ad* Redemptionis pretium, *et in fine.*

Te prona Mundi machina
Clemens adoret Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum. Amen.

Quod si festum hoc habeat secundas Vesperas integras, Hymnus idem ponitur ad Laudes; et in secundis Vesperis Te deprecante.

Ad Matut. autem in utroque casu dicitur solus Hymnus Corpus domas, *usque ad finem. Alias vero Hymni dicuntur ut infra.*

Ad Matutinum.

Hymnus.

Gentis Polonae gloria,
Clerique splendor nobilis,
Decus Lycaei, et Patriae
Pater, Joannes inclyte.

Legem superni Numinis
  Doces Magister, et facis:
  Nil scire prodest; sedulo
  Legem nitamur exequi.
Apostolorum limina
  Pedes viator visitas;
  Ad Patriam, quam tendimus,
  Gressus, viamque dirige.
Urbem petis Jerusalem;
  Signati sacro sanguine
  Christi colis vestigia,
  Rigasque fusis fletibus.
Acerba Christi Vulnera
  Haerete nostris cordibus,
  Ut cogitemus consequi,
  Redemptionis pretium.
Corpus domas jejuniis,
  Caedis cruento verbere,
  Ut castra poenitentium
  Miles sequaris innocens.
Sequamur et nos sedulo
  Gressus Parentis optimi;
  Sequamur, ut licentiam
  Carnis refraenet spiritus.
Rigente bruma providum
  Praebes amictum pauperi,
  Sitim famemque egentium
  Esca, potuque sublevas.
O qui negasti nemini
  Opem roganti, patrium
  Regnum tuere, postulant
  Cives Poloni, et exteri.
Sit laus Patri, sit Filio,
  Tibique Sancte Spiritus,

Preces Joannis impetrent
Beata nobis gaudia. Amen.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOannes, in Oppido Kenty Cracoviensis Dioecesis, a quo Cantii cognomen duxit, Stanislao, et Anna piis et honestis parentibus natus, morum suavitate, innocentia, gravitate ab ipsa infantia, spem fecit maximae virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiae ac Theologiae primum Auditor, tum per omnes Academiae gradus ascendendo Professor ac Doctor sacra, quam annis multis tradidit, doctrina mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, et faciens. Sacerdos factus, nihil de litterarum studio remittens, studium auxit christianae perfectionis. Utque passim offendi Deum maxime dolebat, sic eum sibi, et populo placare, oblato quotidie, non sine multis lacrymis, incruento sacrificio satagebat. Ilkusiensem Parochiam annis aliquot egregie administravit, sed animarum periculo commotus, postea dimisit ac postulante Academia, ad pristinum docendi officium rediit.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

QUidquid temporis ab studio supererat, partim saluti proximorum, sacris praesertim con-

cionibus curandae, partim orationi dabat, in qua coelestibus quandoque visionibus colloquiis dignatus est fertur. Christi vero passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causa melius recolendae Jerosolymam peregrinatus sit: ubi et Martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum praedicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina pedes, atque viaria onustus sarcina Romam venit, tum ad Sedem Apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret: tum ut sui (sic enim ajebat) purgatorii poenas, exposita illic quotidie peccatorum venia, redimeret. Quo in itinere a latronibus olim spoliatus, et numquid haberet praeterea interrogatus, cum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus: qui Viri sancti candorem simul, et largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidere. Alienae famae ne quis detraheret, descriptis Beati Augustini exemplo in pariete versiculis, se, atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat. Nudos autem non emptis modo, sed detractis quoque sibi vestibus et calceis operiebat, demisso ipse interim usque ad terram pallio, ne domum nudipes redire videretur. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

BRrevis illis somnus, atque humilis vestis, quae nuditatem, cibus, qui mortem dumtaxat arceret; virginalem pudicitiam, velut lilium in-

ter spinas, aspero cilicio, flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin et per annos ante obitum triginta circiter et quinque ab esu carnium perpetuo abstinuit. Tantem dierum juxta, ac meritorum plenus, cum vicinae, quam praesensit, morti se diu diligenterque praeparasset, ne qua re amplius teneretur, si quid domi supererat, id omnino pauperibus distribuit. Tum Ecclesiae Sacramentis rite munitus, dissolvi jam cupiens, et esse cum Christo, pridie Nativitatis ejus in coelum evolavit, miraculis ante et post mortem clarus. Mortuus ad proximam Academiae Ecclesiam Sanctae Annae delatus est, ibique honorifice sepultus. Auctaque in dies populi veneratione, ac frequentia inter primarios Poloniae, ac Lythuaniae Patronos religiosissime colitur. Novisque coruscans miraculis, a Clemente Decimotertio Pontifice Maximo, decimoseptimo Kalendas Augusti anno millesimo septingentesimo sexagesimo septimo, solemni ritu Sanctorum fastis adscriptus est. ℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. Sancti Gregorii Papae in Evang.* Sint lumbi vestri praecincti, *ut in comm. Conf. non Pont.* 1. *loco.*

Ad Laudes.

Hymnus.

Te deprecante corporum
Lues recedit, improbi
Morbi fugantur, pristina
Redeunt salutis munera.
Phtisi, febrique, et ulcere
Diram redactos ad necem,

Sacratas mortis victimas,
Ejus rapis e faucibus.
Te deprecante tumido
Merces abactae flumine,
Tractae Dei potentia
Sursum fluunt retrogradae:
Cum tanta possis, sedibus
Coeli locatus, poscimus,
Responde votis supplicum,
Et invocatus subveni.
O una semper Trinitas!
O Trina semper Unitas!
Da supplicante Cantio
Æterna nobis praemia. Amen.

DIE XXII. OCTOBRIS.

In festo B. Ladislai a Gielniow Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Ladislaum religiosa perfectione voluisti omnibus praelucere: concede propitius; ut ejus exemplo in virtutibus jugiter proficiamus. Per Dominum.

Et fit comm. Ss. Ursulae, et Sociar. Mart. In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LAdislaus in Oppido Gielniovii Dioecesis Gnesnensis in Polonia natus, mira vitae innocen-

tia pueritiam transegit. Adhuc adolescens in Ordine Fratrum Minorum Observantium Sancti Francisci, quorum antiquam disciplinam Sanctus Joannes a Capistrano non diu ante in Polonia propagaverat, solemnia vota nuncupavit. In arrepta religiosae perfectionis via ita profecit, ut absolutae sanctitatis exemplar videretur. Assiduis jejuniis, et vigiliis corpus subegit: orationis, et contemplationis gratia, charitate, humilitate, aliisque religiosi hominis virtutibus maxime enituit, ac regularem in primis observantiam ardenti zelo promovit. ℟. Honestum.

Lectio v.

Cum ceteris sanctitate, zelo, ac doctrina praeluceret, ad regimen sui Ordinis assumptus est: saepe Custodis Conventus Varsaviensis, et Vicarii Provinciae Poloniae munus summa cum laude obivit. Divini verbi praedicationi operam navavit egregiam. Prae aliis autem virtutibus obedientiam, ac propriae voluntatis abdicationem maxime coluit: cum enim ei Coenobii optio daretur, et socii, qui famularetur, e Superiorum nutibus pendere se velle professus est. Singulari pietate, ac devotione erga Christi Domini Passionem afficiebatur, quae tam alte ipsius menti haerebat, ut illius memoriam suis in concionibus numquam omitteret. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Sacro Parasceves die cum de Dominica Passione ad populum concionem haberet, eique Christi dolores, et cruciatus prae oculis poneret,

sacratissimum Jesu nomen ingeminans, in extasim raptus est, et super ambonem universo spectante populo elevatus. Mox languore correptus, plenus meritis, ac omnibus Ecclesiae Sacramentis rite, sancteque refectus, migravit ad Dominum, quarto nonas Maji anno millesimo quingentesimo quinto, et in Ecclesia sui Ordinis Varsaviae sepultus est. Ejus merita, et sanctitatem statim post mortem miraculis Deus comprobavit; praesentemque in suis calamitatibus opem agnoscentes Poloni, et Lithuani, inter suos primarios Patronos Beatum Ladislaum adlegerunt. Ipsius cultum Summus Pontifex Benedictus Decimusquartus ratum habuit, et Apostolica auctoritate amplificavit. ℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Nolite timere, *ut in festo B. Joannis de Dukla die* XIX. *Julii fol.* 223.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

In festo S. Joannis a Capistrano Conf. 1. *Ord. dupl.* 2. *class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.*

In utrisque Vesperis, et in Laudibus.

℣. Ora pro nobis Beate Joannes.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Antiph. O zelator fidei, persecutor haereticorum, lumen virtutum, exterminator Turcarum, praedicator egregie, doctor populorum, Joannes fidelissime Ordinis Minorum, esto nobis praesidium e regno Beatorum.

Oratio.

DEus, qui Ecclesiam tuam Beati Joannis meritis, et doctrinis mirabiliter sublimasti, et per

eum de perfidis tyrannis in virtute sanctissimi Nominis Jesu fideles tuos triumphare fecisti: praesta quaesumus: ut de inimicis nostris ejus intercessione praevalentes in terris, praemiari cum ipso mereamur in coelis. Per eumdem Dominum nostrum.

Et fit comm. B. Ladislai Conf.

*In 1.Noct.Lect.*Beatus vir,*de eodem comm.2.loc.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JOannes Capistrani in Marsis, Patre Germano, nobili, et Matre ibidem ex honesta familia ortus est. Perusium studiorum causa missus, in christianis, et liberalibus disciplinis adeo profecit, ut ob egregiam juris scientiam aliquot civitatibus e Neapolis Rege Ladislao praefectus fuerit, quarum rempublicam sanctissime gessit. Perusii dum perturbatis rebus tranquillitatem revocare studet, capitur ipse, et in vincula conjicitur, in quibus homine Franciscano sibi apparente, et ad sanctius ministerium vocante, deinde corona clericali accepta, inter Fratres Minores Observantes, post aspera constantiae experimenta, cooptatus est. In divinis litteris magistrum habuit Sanctum Bernardinum Senensem, cujus et virtutis exempla, in cultu potissimum sanctissimi Nominis Jesu, ac Deiparae propagando, egregie est imitatus, et mortui gloriam assidue curavit. Vir profundissimae humilitatis ut Aquilanum Episcopatum acciperet, adduci non potuit, et cum ad eum ventitarent permulti, ut ad Apostolum alterum, vel potius Angelum

coelo demissum, non ut nuntium modo Apostolicae Sedis, nihil ipse ea frequentia, et honoris significatione commotus, dicere solebat: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Severiore disciplina; atque scriptis, quae plurima edidit ad mores reformandos, maxime enituit; et observantium Familiam, cui iterum potestate vicaria praefectus fuerat, optimis legibus, exemplisque constabilitam, sic ampliavit, ut maximum Ordini universo decus, fideique incrementum attulerit. ℟. Honestum.

Lectio v.

PRaedicationi verbi Dei sedulo incumbens Italiam fere universam lustravit, quo in munere, et virtute sermonis, et miraculorum frequentia, innumeras prope animas in viam salutis reduxit. Eum Martinus Quintus ad extinguendam Fraticellorum sectam Inquisitorem instituit, de quibus feliciter triumphantem, contra omnes haereticos generalem Inquisitorem creavit. In terris Sanctae Romanae Ecclesiae Judaici foenoris iniquitatem compressit. Eugenii Quarti auctoritate, Sancto Laurentio Justiniano adjutore, et comite, Jesuitarum causam cognovit, eorumque innocentiam vindicavit. In Oriente multis optime constitutis, Armenorum ad Ecclesia sinum reductionem curavit, quae in Concilio Florentino, ubi veluti sol quidam fulsit, perfecta est. A Nicolao Quinto contra Judaeos, et Saracenos generalis Inquisitor in omni Italia constitutus, Romae Judaeorum Magistrum cum sectatoribus quadraginta ad veritatis professionem reduxit. Item Pontifex, postulante Friderico

Tertio Imperatore, illum Apostolicae Sedis Nuntium in Germaniam legavit, ut haereticos ad Catholicam Fidem, et Principum animos ad concordiam revocaret. Sexennali peregrinatione in Germania, aliisque Provinciis Dei gloriam mirifice auxit, Hussitis, Adamitis, Thaboritis, Hebraeisque innumeris doctrinae veritate, ac miraculorum luce ad Ecclesiae sinum traductis. Ægros quamplurimos sanavit, mutis loquelam, mortuis vitam restituit, fluvios, strato super aquas pallio, cum sociis trajecit. Martini Quinti obitum, et Eugenii Quarti successionem, aliaque multa prophetico spiritu praedixit.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

In multis Principum Germanorum conventibus expeditioni in Turcas hortator diligens, et impulsor fuit. Cum vero Callistus Tertius ipso potissimum deprecante cruce signatos mittere decrevisset, Joannes fulguris instar per Pannoniam, aliasque provincias volitavit, qua verbo, qua litteris Principum animos ita ad bellum accendit, ut brevi millia Christianorum septuaginta conscripta sint. Ejus consilio, et virtute potissimum Taurunensis victoria relata est centum ac viginti Turcarum millibus partim caesis, partim fugatis. Cujus victoriae cum Romam nuntius venisset octavo idus Augusti, idem Callistus ejus diei memoriae solemnia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit. His, atque aliis praeclare gestis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto, Villacum defertur. Ægrotum viri Principes plures visitarunt,

eosque ipse ad tuendam Christianam Religionem hortatus, vir Apostolicus, et voluntate Martyr, animam Deo reddidit, anno salutis Millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Defuncto exequiae in Pannonia, et Germania, ac tota Italia per triduum; Villaci vero, ubi ejus Corpus elatum est, per septem dies persolutae fuerunt. Ejus gloriam post mortem Deus multis miraculis confirmavit, quibus rite probatis, cum Alexander Octavus anno millesimo sexcentesimo nonagesimo in Sanctorum numerum retulit; et Joannis nomen formidabile Turcis maxima Urbis celebritate consecravit. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 9.

IN illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

Exposit. in Cap. 9. Luc.

APostoli ideo nominati sunt ut eorum commendaretur auctoritas: Apostolus enim missus interpretatur; missi autem fuerunt ad praedicandum, secundum illud: Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Fuerunt ad praedicandum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet regnum Dei, per quod potest intelligi

doctrina veritatis, juxta illud: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Potest etiam dici gratia Spiritus Sancti, secundum illud: Non est regnum Dei esca, et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto; et infra: Ecce regnum Dei intra vos est. Potest etiam dici gloria aeterna, juxta illud: Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. ℟. Iste est.

Lectio viii.

OMnibus his modis Apostoli sunt missi praedicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam, et aeternam gloriam. Et quia propter auctoritatem praedicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit et sanare infirmos: scilicet misit ad confirmationem veritatis praedicare, secundum illud: Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Unde signum missioni spiritualis ad praedicandum, est sanatio audientium a morbis vitiorum. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

TRia autem sunt signa evidentia, quibus probatur, utrum praedicator a Domino sit missus ad Evangelium praedicandum. Primum est auctoritas mittentis, cujusmodi est Pontificis et maxime Pontificis summi, qui est loco Petri, imo Jesu Christi; unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona, quae mittitur, quando scilicet principa-

liter quaerit Dei honorem, et animarum salutem. Tertium est fructificatio, et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium Spiritus Sancti. De primo: Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii. De secundo: Non enim nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. De tertio: Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Et qui sic mittitur, potest dicere illud: Spiritus Domini super me, eo quod duxerit me. Te Deum laudamus.

DIE XXV. OCTOBRIS.

In festo Ss. Gavini, Proti, et Januarii Mart. dupl. min. Omnia de comm. plurim. Mart., praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

DEus, qui per Beatos Martyres tuos Gavinum, Protum, et Januarium Ecclesiam tuam mirabiliter illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis; ut, quos Patronos veneramur in terris, intercessores habere mereamur in coelis. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

PRotus Sacerdos, et Januarius Diaconus Turribus in Sardinia nati, quo tempore Diocletianus Imperator insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, Romam profecti, et a Cajo san-

clissimo Pontifice ordinati, atque in Sardiniam reversi, fidem Christi Turribus praedicabant; Deique gratia aspirante, plures Gentiles ad veri Dei cultum perduxerunt, inter quos maxime enituit Gavinus Romanus miles ex praeclara (ut fertur) Sabellorum familia: qua de causa barbari Praesidis jussu comprehensi, diuturno carcere macerati, in equuleo suspensi, ferreis ungulis dilaniati, variisque tormentorum generibus vexati sunt, sed Deo protegente illaesi ab illis evaserunt.

℟. Sancti tui.

Lectio v.

Mox Protus Presbyter in Herculis Insulam, quae Linaria vulgo dicitur, tunc noxiis animalibus refertam, jubente Praeside, deportatus fuit, ut a feris devoraretur · ubi cibo, atque omni humana ope penitus destitutus, multis calamitatibus vexatus fuit, sed divinis laudibus intendens, ab eo, qui dat escam esurientibus, mirabiliter enutritus, hoc etiam suis precibus impetrasse dicitur, ut omnes noxiae ferae in eà Insula, ac vicina Sardinia usque in praesentem diem extinctae omnino fuerint. At vero Januarius junior, donis et blanditiis tentatus, ut a fide deficeret, in ejus confessione, immobilis perseveravit. Quare Praeses novis eum tormentis simul cum Proto, quem ab exilio revocaverat, subjecit, et Gavino militi utrumque tradidit custodiendum. Porro Gavinus ab ipsis ad Christum conversus, et aqua salutari ablutus, liberos illos dimisit, quod insontes eos, et sine causa vinctos diceret. ℟. Verbera carnificum.

Lectio vi.

ID cum Tyranno innotuisset, suasionibus et illecebris ad idolorum cultum Gavinum revocare conatus est; quem in suscepta Religione constantissimum repertum, capitali sententia puniri mandavit in portu Balagai. Quo loco etiam Protus et Januarius, qui in suburbano Turrium loco latentes ab ipso Gavino in visu ac Martyrii palmam invitati fuerant, decollati sunt die vigesima quinta Octobris. Horum Corpora, Tyranno imperante, in mare projecta, mox ab incolis Christianis juxta littus reperta, et in Ecclesia magnificentissime extructa, ac eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, ubi a toto Sardiniae Regno, et praecipue a Provincia Turritana, quae in honorem Sancti Gavini mensem Octobris Sanctum Gavinum appellat, ingenti concursu, et populi veneratione coluntur. ℟. Tanquam aurum.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Cum audieritis praelia, *de eodem comm.* 1. *loco, et ix. Lect. de Ss. Mart. Chrysantho, et Daria.*

DIE XXVI. OCTOBRIS.

In festo Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. et Conf. dupl. Omnia de comm. Conf. Pont. praeter ea, quae hic habentur propria.

Ad Vesperas.

Hymnus.

EN qui benigne nexibus
Solvit revinctos criminum,

Coelique callem deviis
En qui retexit sedulus.
Oh quot labores pertulit,
Æstusque mentis asperos,
Ex ore prompte daemonis
Eos ut atro tolleret!
Pagos et urbes permeat,
Plagasque cultas rusticis,
Ibique Christi dogmata
Ardore multo seminat.
Et ut docere dissitos,
Omnesque possit posteros,
Edit libros multiplices
Cunctis futuros saeculis.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

Oratio.

DEus, qui per Sanctum Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

DUm corda plebis commovet,
Eamque belle provocat

Alphonsus, ut fiduciam
In Matre ponat Numinis.
Monstrum novum, mirabile
Stupore plena conspicit,
Immensa quod suspiria,
Dulcesque guttas excitat.
Imago namque Virginis
Se luce vestit prot nos,
Jubarque vibrat, quod pium
Loquentis os illuminat.
Probavit hoc miraculo
Regina Coeli praepotens
Verum fuisse, fervido
Quod fudit ipse pectore.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ALphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent Sancto Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis so-

dalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assequutus Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset; fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a Patre proposito, avita primogenitura abdicata, et ad Aram Virginis de Mercede ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim, et ruricularum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit SS. Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

℟. Inveni David.

Lectio v.

Ne autem a proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum

edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum faceret, quod numquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla umquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter haec prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit. ℟. Posui adjutórium.

Lectio vi.

AB Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime obhorruit. At Clementis decimitertii Pontificis auctoritate coactus S. Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coërcendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae charitate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam

redegit, suaeque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves, habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de coelestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriae Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit.

℟. Iste est.

Lect. 3. *Noct. de comm. Evangelistarum*, Designavit Dominus.

Ad Laudes.

Hymnus.

ALphonse cur nam juscula
Herbis amaris inficis?
Corpus tuum durissimo
Quare flagello percutis?
Rerum premens angustia,
Frigus, calor, jejunium,
Sitis, laborque pervigil
Submisit illud affatim.
Intacta sint, hoc efficis,
Ut castitatis lilia
Tuae, cibumque divitem
Virtutibus des ceteris.
Sic in tumultu saeculi
Vita fruentes accolae

Possunt Eremi consequi
Gressus tuos Antistites.
Æterna Patri gloria,
Ejusque soli Filio,
Tibique Sancte Spiritus
Sit in perenni tempore. Amen.

EADEM DIE

In festo B. Bonaventurae a Potentia Conf. Ord. Min. Convent. semid. (ad libitum). Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui in Beato Bonaventura Confessore tuo eximium obedientiae exemplum constituere dignatus es: praesta, quaesumus, ut ejus imitatione voluntatem nostram abnegantes, mandatis tuis perpetuo inhaerere valeamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In 2. et 3. Noct. Lect. de comm. Conf. non Pont. 1. loco.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

In festo S. Ludovici Bertrandi Conf. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont., praeter ea quae sequuntur. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum per corporis mortificationem, et fidei praeconium, Sanctorum gloria coaequasti: praesta, ut, quod fide profitemur, pietatis operibus jugiter impleamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

LUdovicus Bertrandus Valentiae in Hispania Tarraconensi honestis, piisque parentibus natus, ab ipsa pene infantia sanctitatis, ac poenitentiae tyrocinium incoavit. Exacta pueritia interdum nuda cubabat humo, noctes saepe ducebat insomnes, ac in pietatis et charitatis officia sedulus incumbebat. Mundi contemptu, ac Religiosae vitae ardore succensus, Parentum artes, quibus eum a sancto proposito dimovere conabantur, mira constantia superavit. Sui tandem voti compos effectus, Praedicatorum Ordini nomen dedit, ubi brevi tantum profecit, ut vel provectioribus ipsis, quamvis tyro, fuerit exemplo. Emissa professione, mirum quot, et quantis virtutum incrementis priorem vitae rationem cumularit. Jejuniis, flagellis, ciliciis, vigiliisque carnem domans, mentem jugi orationis pabulo nutriebat; ex quo tantum internae animi modestiae, ac puritatis hauriebat, ut vel in ejus oculis, ac vultu appareret.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

ADhuc juvenis Novitiorum praefectus institutus, eos ad omnem verbo et exemplo sanctimoniam efformabat. Ad Occidentales Indos Evangelicus Praedicator missus, quamvis uno tantum Hispanico uteretur idiomate, eum tamen diversae, atque inter se dissitae Nationes, sua

veluti loquentem lingua, singulae audiebant, ex quibus innumeros ad Christianam Fidem adduxit: ibique venenum non semel sibi a Barbaris propinatum innoxie hausit. Publicam vitiorum objurgationem, tamquam in se unum directam Nobilis quidam ulturus, mortem Ludovico intentat: cum strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repente convertitur. Quo miraculo nefarius agressor permotus, ad sancti viri pedes provolutus, tanti facinoris veniam e nixe deprecatur. ℟. Amavit eum.

Lectio vi.

HUmilitate, ac patientia insignis, illud identidem usurpabat, Domine hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas. Prophetico afflatus spiritu multa praedixit. Ignem signo Crucis extinxit, tempestatem sedavit, ferarum impetus cohibuit, mortuis vitam, coecis visum, claudis gressum, surdis reddidit auditum. Tandem durioris poenitentiae laboribus fractus, in morbum incidit, sacrisque mysteriis rite expiatus, migravit in coelum septimo Idus Octobris, anno millesimo quingentesimo octogesimo primo, aetatis vero suae quinquagesimo quinto. Quem multis etiam post obitum miraculis clarum Paulus Quintus Beatorum, Clemens vero Decimus Sanctorum numero adscripsit. Ejus demum festum Alexander Octavus, instante Rege Catholico, ab universo ditionis ipsius Clero saeculari, sub ritu duplici celebrandum decrevit, Sanctumque Confessorem novi Regni Granaten-

sis Patronum Apostolica auctoritate declaravit.
℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, *ut in eodem. comm.*

DIE XXIX. OCTOBRIS.

In festo S. Pulcheriae Virg. Imperatr. dupl. min. Omnia de comm. Virg. exceptis iis, quae sequuntur.

Oratio.

DEus, qui Beatam Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis prerogativa decorasti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum fidei amorem tribuere voluisti: concede; ut ejus intercessione tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. De Virginibus, *de eodem comm.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ELia Pulcheria Augusta, Patre, Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maxime nobilis, profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et Catholico Dogmate circa Incarnationis Mysterium, et Divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcadii Patris obitum Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; essetque

constans opinio, unius puellulae virtute, ac sapientia, quae instare, atque ingruere videbantur pericula discussa, et felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam Sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut quibus non multum praestabat, earum moderatrix, ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae, se, suamque Virginitatem Deo devoverunt: utque Augusta Virgo ea, quae decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro et pretiosis lapidibus Sacram Mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro Virginitate sua, et Fratris Imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae haec eadem inscripsit.

℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi verique Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsequutus. Post diuturnam cum Fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in Aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare

posset, secessit in Hebdomum, locum Bizantio suburbanum, ibique vitam agens pene Monasticam aliquamdiu se continuit. Cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a Fratre accersita, ubi deesse vidit, qui praelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide ac religione armata processit; et missis in omnem partem Epistolis, hortando, monendo, minitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna affecta est, quam Patres Concilii Chalcedonensis una omnium voce, atque praeconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, expultricem haereticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique Sanctus Leo, totius Romanae Ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Nestoriana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto, duplicem illi et palmam contulerat, et coronam.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

Atque hae tantae curarum moles, quas praesertim in Ephesino, ac Chalcedonensi Conciliis, Romanorum Pontificum auctoritate convocatis, necessario susceperat, nihilo illam ad cetera Christianae pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidue coelestium rerum contemplatione, sacrorum librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat. Psalmos de nocte surgens una cum Regiae familiae Principibus decantabat. Dei, ac Sanctorum,

(quorum colloquia non semel dignata est ,) cultrix eximia : quae etiam summopere semper contendit, ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit: voluit namque summa sapientiae suae dispositione Divina Providentia, ut per Virginem summa Virginis dignitas inoffensa penitus servaretur; quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem: cujus denique cultui amplificando complura Templa regali plane magnificentia excitavit, donariis auxit, redditibus locupletavit. In placanda Divina justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari ; quos et materna quadam charitate complexa est , quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua , effusissimaque liberalitas reliqua fecerat , scripsit haeredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari Religionis studio , rebusque omnibus Imperio dignissimum ipsa evexerat ad Imperium; sibique hanc ipsam ob causam , salva , quam Deo voverat , virginitate , conjugem delegerat. Obiit anno quadringentesimo quinquagesimo tertio , magno omnium luctu , maximisque Sanctorum Patrum, ceterorumque ejus aevi Scriptorum laudibus celebrata. ℟. Afferentur Regi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vii. *Cap.* 17.

IN illo tempore: dixit Jesus: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

SAne vos sacras, castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris Sponsas, religiosissimae, ac Deo dilectissimae Imperatrices, Orbis terrarum ornamentum, sanctissimarumque Ecclesiarum decus, optimo jure quisque appellaverit; in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus Divinae Majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opibus contentae, omnem quoque curam, omneque studium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Christi Regnum capessere, et ea, quae illi grata sunt, facere, et sentire omittitis; partem quidem praeclaris actionibus, partim rursum cum vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas Virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima Templo Christo Domino excitantes: nam et hoc quoque pietatis studium inter cetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

℟. Haec est Virgo.

Lectio viii.

Igitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis bonum abunde instructae videamini) , aliquid depromam. Hinc etenim, et Emmanuelem verum , ac naturalem Deum , et Virginem Matrem , quae eum peperit , veram per ipsum Deiparam esse, planum fiet. Ait Christus : Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum , et quem misisti Jesum Christum. Si cum solius, verique Dei cognitione , Jesu Christi cognitionem necessariam , consociatamque esse oportet, et hoc ipsum aeternam vitam conciliat ; cui obscurum esse potest , Christum verum esse Deum ? Verbum sane Caro factum est ; sed mansit interim Verbum.

℟. Media nocte.

Lectio ix.

Et ego claritatem , quam dedisti mihi , dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat , quam nobis deinde communem fecerit ? Sane ipse ab hac quaestione nos liberat , dum ait: Ut unum sint, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum , secundum propriam hypostasim , alius a Patre esse dignoscatur , naturali tamen identitate unum plane , et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud unum quoque nobiscum factum est ? Ad eumdem omnino modum , puta secundum essentialem , et naturalem identitatem. At cum Divina natura tanto a creatura distet intervallo , ut secundum essen-

tiam, cum ea coire nequaquam valeat; ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo: ut quemadmodum in Deitate unum, et idem est cum Patre; ita secundum naturae humanae habitudinem sit unum quoque nobiscum.

Te Deum laudamus.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

Vigilia Omnium Sanctorum.

Fit de festo B. Thomae a Florentia Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui admirabili clementia de peccatoribus justos, et de vasis irae facis vasa misericordiae: concede propitius; ut Beati Thomae Confessoris tui precibus, e vitiorum servitute soluti, perpetua filiorum tuorum libertate gaudere mereamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

THomas Bellacius a Florentia, cum adolescens saeculi illecebris aliquando indulsisset, divinae gratiae lumine illustratus, in alium repente hominem immutari, et ad omnem perfectionem contendere visus est. Sodalitati enim Sancti Hieronymi, quam a Cyppo vocant, primum adscriptus, mox inter Laicos Franciscani Ordinis

cooptatus, dignos atque uberrimos poenitentiae fructus fecit, tantisque virtutibus ineuntis aetatis vitia emendavit, ut Seraphici Parentis sui non tam assecla, et aemulator, quam viva quaedam, et numeris omnibus absoluta imago videretur. ℟. Honestum.

Lectio v.

Solitudinis, ac rerum divinarum amore inflammatus, in orando, contemplandoque assidue sese exercuit. Eximio religiosae paupertatis studio tantam adjecit in obediendo alacritatem, ut Sancti Joannis a Capistrano Moderatoris sui jussu, prunas diu tractare nudis manibus non dubitarit, insigni miraculo illaesus, Corporis castigator acerrimus, adeo parce, duriterque vitam egit, ut toto ferme anno, quem in septem Quadragesimas ad Sancti Francisci exemplum partiebatur, solo pane, additis interdum paucis, iisque minime coctis oleribus, victitarit, nec alio umquam potu sit usus, quam aqua, vel simplici, vel injectio absynthio amarulenta. His virtutibus, multisque prodigiis quibus eum Deus quotidie illustrabat, quantam sanctitatis opinionem sibi conciliaverit, vel exinde deduci potest, quod homo expers litterarum, nec Sacris initiatus a principibus Viris, annuente Summo Pontifice, adhibitus sit ad Fraticellorum pestem ab Etruriae finibus expellendam, eoque auctore multa passim Coenobia fundata sint, atque ab illo eodem prudentissime, sanctissimeque administrata. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Cum Alberto de Sarthiano, aliisque Ordinis Minorum Fratribus ab Eugenio Quarto in Æthiopiam missus, a Mahometanis captus, atque in cisternam veterem conclusus, ibi integros viginti dies sine ullo cibo, potuque exegit. Inde post tres menses inedia, siti, squallore confectus, Barbaris tantam patientiam demirantibus, eductus cum esset, nulla contumelia, ac ne illatis quidem vulneribus deterreri umquam potuit a christianae fidei veritatibus asserendis, detestandisque Mahometanae impietatis erroribus. Postremo a Turcis dimissus, et Martyrii spe frustratus, in Italiam redux, Pontificem adire statuit, atque obsecrare, ut se in Infidelium regiones remitteret. Eo consilio Romam proficiscens, gravi morbo corripitur in Fontis Columbae Coenobio, a quo ad alterum Reatenum, ut commodius curaretur, translatus, ubi pie, sancteque decessit pridie Kalendas Novembris anni millesimi quadringentesimi quadragesimi septimi. Ejus sanctitatis, et miraculorum fama, ac populorum concursu ad sacrum Corpus ibidem colendum augescente in dies, iidem Fratres, et universi Cives, sacras ejusdem exuvias in nobiliorem locum transferendas, et cultum ab immemorabili tempore Thomae praestitum, Apostolicae Sedis judicio adprobandum curarunt. Quem tandem cultum Clemens Decimusquartus Pontifex Maximus ratum habens, eum Beatorum ritu solemni decreto venerari permisit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in E-

vang. Sint lumbi vestri, *de comm. Conf. non Pont.* 1. *loco.*

Lectio ix. Vigiliae Omnium Sanctorum. Homil. S. Ambrosii Episcopi in Evang. Descendens Jesus de Monte, *ut in comm. plurim. Mart.* 2. *loco.*

In Laudibus fit comm. Vigiliae, ut in Breviar.

FESTA NOVEMBRIS

DIE IV. NOVEMBRIS.

In festo S. Caroli Ep. et Conf. dupl. min. ut in Breviar. cum comm. Octav. omnium Sanctorum, ac B. Helenae Enselminae Virg. Patavinae 2. *Ord. In secundis Vesperis Antiph.* Veni sponsa, *et in Laudibus* Simile est. *Oratio,* Exaudi nos Deus, *ut in comm. Virg. postea Ss. Vitalis et Agricolae Mart. ut in Breviar.*

DIE V. NOVEMBRIS.

In festo B. Raynerii a Rasina, sive a Burgo S. Sepulchri Conf. 1. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont.* 2. *loco, praeter Lect.* 1. *Noct. de Script. occurr.*

DIE VII. NOVEMBRIS.

In festo B. Bernardini a Fossa Conf. 1. *Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn.* Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui Beatum Bernardinum Seraphici Spiritus ardore succensum ad animarum salutem

verbi tui praeconem eximium effecisti : concede propitius ; ut ejusdem imitatione charitatis opera exercentes misericordiam tuam consequi valeamus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

BErnardinus e nobili gente Amicia ortus Fossae in Aquilana Dioecesi, unde a Fossa cognomentum adeptus, inter religionis officia, et liberalium artium studia Aquilae primum deinde Perusiae parentum voluntate adolescentiam exegit. Hic sacra Beati Jacobi e Marchia concione excitatus, ejusdemque consilio permotus, Ordini Minorum Sancti Francisci sese recensuit, quo in Ordine Sancti Bernardini Senensis, qui paulo ante decesserat, factus imitator, praeclarissima praebuit exempla virtutum. ℟. Honestum.

Lectio v.

FUit enim tanta castitate, ut Angeli nomine appellaretur. Corpus brevi somno, ciborum abstinentia, diris ciliciis, crebris flagellis vehementer angebat. Orationi coram Christo Crucifixo ea lacrymarum copia erat intentus, ut ne habitus maderet, linteolum pectori admoveret. Effusa in proximos miseratione, quos opibus levare non poterat, eos verbis, consiliis, scriptis recreare studuit. Missionarius Apostolicus factus multas Italiae Urbes summo cum animarum lucro peragravit, et Verbum Divinum, Fi-

demque Catholicam in Dalmatia, atque in Strigonia propagavit. Ob heroicam regularem observantiam in Religione primum Minister Provincialis, tum et Procurator, et Vicarius Generalis invitus renunciatur. Ab Aquilanis etiam Episcopus semel, atque iterum expetitus, et a Summo Pontifice electus tantum munus constanti humilitate resignavit. ℟. Amavit.

Lectio vi.

MIraculorum dono insignitus, muto loquelam restituit, et graviter languenti vires suffecit, aliisque donis, coelestibusque praesertim visionibus pluribus tam in vita, quam in mortis articulo, ac ipsius Christi Domini apparitione sub Peregrini specie cumulatus, recreatusque fertur. Tandem in Coenobio Sancti Juliani ad Aquilae moenia anno aetatis suae tertio, et octogesimo, reparatae vero salutis millesimo quingentesimo tertio, quinto Kalendas Decembris meritorum plenus ad Coelos evolavit. Ejus animam inter magnam Angelorum frequentiam splendoribus redimitam Beatus Vincentius Aquilanus coelum ascendentem aspexisse perhibetur. Statim ejus Sanctitatis fama adeo percrebuit, ut ab omnibus tamquam Beatus in coelis comprehensor fuerit habitus, atque praestitus cultus, qui constanter usque ad praesens perseverat. Hujus Beati veneratio immemorabilis rite probata fuit anno millesimo octingentesimo vigesimo octavo a Leone Decimosecundo Pontifice Maximo, qui et Officium et Missam recitari permisit.

℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, *de eodem comm. 1. loco.*

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In festo S. Stanislai Kostkae Conf. dupl.min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui inter cetera sapientiae tuae miracula etiam in tenera aetate naturae Sanctitatis gratiam contulisti; da, quaesumus, ut Beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes, aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

STanislaus Senatoria Kostkarum gente ortus in Polonia, quam olim esset militiam secuturus, nomen JESU praenuntiavit, pariturae matris gremio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa si quid minus pudice dictum audivisset, prae horrore exanimis corrueret. Ad Viennense in Austria Seminarium studiorum causa missus, non minus exemplo sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Lutherani hospitis aedes migrare, ibique a Paulo Fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit, ad

aeterna se, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum coelestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, cult s Deiparae adeo tener, ut Matrem suavissime appellaret. ℟. Honestum.

Lectio v.

QUotidianae Fratris vexationi crebra ipse jejunia, flagella, aliosque insontis corpusculi cruciatus adjiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum daemonem horrendi canis specie insilientem signo Crucis ter fugasset, Sacrum Viaticum, quod in haeretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad Pueri Jesu complexum a Beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convaluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania praecluderet, peregrini habitu solus, pedes, mendicus fugam arripuit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit. Nam praeter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equi, immisso divinitus torpore, constiterunt. Et Stanislaus Angelorum pane iterum Angelico ministerio refectus, post duodecies centena passum millia, tandem Romae in Societatem Jesu a Sancto Francisco Borgia Generali Praeposito meruit cooptari.

℟. Amavit eum.

Lectio v.

Tyronis emeriti virtutes in religiosae vitae palaestra splendidius eluxere: charitas praesertim

erga Deum, in quem assidue alienata a sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa; nonnumquam irradians perennes lacrymae: ardor pectoris tantus, ut media quoque hieme foret ingesta identidem gelida aqua temperandus. Itaque amore verius, quam febri aestuans, die Assumptae in Coelum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam propius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa Beatorum Virginum choro stipata, vocatus est ex Quirinali domo Probationis, anno innocentis vitae decimo octavo, operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis in sua praesertim Polonia enituit: cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus, spectabilis e Coelo affuit non semel; et Civitates alias peste, alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens Decimus eum inter primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus vero Decimus tertius quod a Clemente Undecimo jampridem fuerat decretum in Sanctorum numerum retulit. ℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio vii. *Cap.* 10.

IN illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli, ut manus eis imponeret. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Nysseni.

Orat. de S. Pulcheria.

NOstis prorsus teneram hanc columbam, quae in nido regio nutriebatur; quae jam primum

quidem nitidis pennis volucris evadebat, sed aetatem gratiis, et virtutibus superabat, ut relicto nido discesserit, ut ex oculis nostris avolaverit, ut eam invidia repente de manibus nostris rapuerit: sive columbam hanc dicere oportet, sive recens pullulantem florem, qui nondum quidem toto suo splendore ex gemmis, ac vaginis emersisset, sed partim quidem jam enituisset, partim vero in lucem emersurus sperraretur: nec eo minus in exigua, atque imperfecta sui parte mirum in modum resplenderet. ℟. Iste est.

Lectio viii.

NOn nostrum verbum, Fratres, dicemus, sed dictum ex Evangelio nobis recitatum, in medium afferemus. Auditis Dominum dicentem: Sinite parvulos pueros, et ne prohibeatis eos venire ad me: talium enim est Regnum Coelorum. Proinde etiamsi a te discessit puer, attamen ad Dominum recurrit, tibi oculum clausit, sed lumini aeterno aperuit; a tua mensa remotus est, sed Angelicae adhibitus. Hinc planta revulsa est, at in Paradiso sata est; de regno ad regnum traducta est, purpurae florem exuit, at superni regni amictum induit. Vides, quae quibus commutaverit. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

COrporis decor non amplius apparet; non enim vides ejus veram animi pulchritudinem, qui nunc in Conventu Coelitum exultat, atque laetatur. Quam speciosus ille oculus, qui Deum videt! Quam suave os divinarum laudum decan-

latione exornatum! Ex ore enim, inquit, infantium, et lactentium perfecisti laudem! Quam pulchrae manus, quae numquam malum operatae sunt! Quam decori pedes, qui ad nequitiam, atque malitiam non accesserunt, neque in via peccatorum vestigium suum impresserunt! Quam speciosa tota animae illius facies, non laudum fulgoribus ornata, sed simplicitate, integritate, et innocentia resplendens.

Te Deum laudamus.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In festo B. Gabrielis Ferretti Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn. Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui a sede Majestatis tuae humilia benignus respicis, et alta a longe cognoscis: concede famulis tuis; ut Beati Gabrielis Confessoris tui meritis, et exemplo mundi vanitatem, ac saeculi desideria abnegantes promissa humilibus praemia consequi mereamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

GAbriel ex nobilibus parentibus Anconae in Piceno natus, et sedula piorum parentum cura in Dei timore enutritus, jam a primis adolescentiae annis, animum a paternae domus deliciis, et mundi illecebris avocavit. Ubi primum per aetatem licuit, in Sodalitio Fratrum Minorum,

quos de Observantia vocant, tyrocinium ingressus, et religionem subinde professus, virtutes, quibus pridem assueverat, impensius coluit, prae ceteris vero humilitatem, et omnimodam sui abnegationem. Ejus virtutum fama longe lateque diffusa, primum Anconitani Coenobii, mox universae Picenae Provinciae gubernio praeficitur. In utroque munere ubique pervigil, nulloque labore deterritus, aliquando imperio usus est, ut sontes coërceret; saepius exemplo praeivit, ut infirmos, ac desides ad virtutem excitaret. In Monasterio, cui praeerat, infima quaeque exercere munia, ac victum ostiatim quaerere, ut Fratribus alimoniam pararet, solemne habuit. ℟. Honestum fecit.

Lectio v.

QUo tempore Provinciam Vicarius regebat, Fulginei Ecclesiam, nullo Fratrum comitante, ingressus, ideoque nullis notus, aedituo instante, ut Sacerdoti celebraturo inserviret, protinus annuit, ac ministerium obivit. Mox indicio Fratris, qui supervenerat, cognitus, de praestito famulatu gavisus est, ac aedituum, ne acrius objurgaretur, humiliter excusavit. Apud Septempedanos Monasterium a civibus oblatum instauravit. Aliud prope Auximum a fundamentis erexit: Anconitanum ampliavit; ut aucto Fratrum numero, et Seraphica Religio plures filios, et messis evangelica plures haberet operarios. Sacris concionibus, ac verbi Dei praedicationi addictus, nihil intentatum reliquit, ut peccatores ad veritatis, et salutis semitam evocaret. Multa in Deum charitatem, multa item in Bea-

tam Virginem pietate exarsit. Sive orationi vacaret, sive cum suis, vel exteris colloquia misceret, Deum cogitabat, Deum loquebatur. In concionibus frequens illi de Virginis Deiparae laudibus sermo erat; dignus idcirco, qui Christi Domini, ejusque Virginis Matris aspectu suavissimo frueretur. ℟. Amavit.

Lectio vi.

Tandem virtutibus, et meritis cumulatus, dono etiam prophetiae, ac miraculorum gloria illustris, Anconae in Monasterio sui Ordinis, adstantibus inter ceteros Sancto Jacobo Piceno, ac Georgio Albanensi, quibus moriens praedixerat: *Gaudete, et exultate quia nomina vestra scripta sunt in Coelis*, anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto, pridie Idus Novembris obdormivit in Domino. Funebrem orationem habuit idem Sanctus Jacobus a Marchia, ejus virtutum laudator, ac testis. Corpus in Ecclesia ejusdem Monasterii humiliori tumulo primum conditum, postea vero, annuente Innocentio Octavo, in sepulchrum marmoreum, et tandem ad magnificum sacellum Deiparae sacrum translatum est, ubi adhuc integrum, ac suavem spirans odorem servatur, multaque populorum frequentia colitur. Cultum miraculis auctum, et propagatum felicis memoriae Pontifex Benedictus Decimusquartus Apostolica primum auctoritate probavit; indulsitque Missam, et Officium de Communi ab universo Fratrum Minorum Ordine, necnon a Clero Civitatis, et Dioecesis Anconitanae celebrari. Mox vero, ut hunc ipsum cultum illustriorem redderet, Cle-

meus Decimustertius Pontifex Maximus, has proprias Lectiones una cum Oratione ab eisdem recitari permisit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Sint lumbi vestri, *de comm. Conf. non Pont.*

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In festo B. Agnetis Virg. Assisiensis, Germanae Sororis S. Clarae, 2. Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui Beatam Agnetem multis virginibus evangelicae perfectionis exemplum, et ducem praeposuisti: da quaesumus, ut spiritus ille Seraphicus, quem sapienter docuit, ac sanctitatis exemplis mirifice confirmavit, purus in nobis jugiter perseveret. Qui vivis.

Et fit comm. S. Gertrudis Virg.

In 1. Noct. Lect. De Virginibus, *ut in eodem comm. 1. loc.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Agnes Virgo nobili genere Assisii nata, Sanctae Clarae ejus Sororis exemplo, contemptis saeculi illecebris, se totam Deo consecravit. Nam sexdecim post Sanctae Sororis conversionem elapsis diebus, ipsa quoque clam paternos lares deseruit, et apud illam in ruralem Ecclesiam se contulit. Quod egregium Virginis facinus aegre ferentes consanguinei, blanditiis pri-

mum, ac minis a sancto proposito distrahere moliuntur, sed cum nihil proficerent, eam vi rapiunt, et pugnis, ac calcibus ad paternam domum reducere tentant: at Sancta Clara Deum orante illa immobilis constitit, nec ullo eorum conatu potuit a loco amplius avelli. Furentis etiam Patrui ad eam feriendam elata manu repentino, ac vehementi dolore correpta; quibus deterriti prodigiis aggressores abierunt, et illa cum gaudio ad Sororem reversa est. Eam deinde Sanctus Franciscus ad Sancti Damiani Ecclesiam deduxit, ubi ab eodem detonsa, ac poenitentiae habitu induta cum Sancta Sorore sanctioris vitae tyrocinium inchoavit, illaque facem praeseferente, Christianae perfectionis semitam feliciter cucurrit. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

Singulari vitae austeritate enituit; nam ut carnem domaret, aspero usque ad obitum cilicio induta est, et pro cibo fere quotidiano pane et aqua dumtaxat utebatur. Quod a manuum labore supererat temporis, orationi, ac Divinarum rerum contemplationi dare consueverat, in qua frequentes ac diuturnas extases experiebatur. Dum nocte quadam in Chori angulo ferventius orabat, a terra elevatam, tribusque redimitam coronis inspexit Sancta Clara; aliquando etiam in specie puerili Dominum Jesum videre meruit, in quem eximio amore ferebatur.

℣. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

AD novum sui Ordinis dirigendum Coenobium Florentiae in loco, quem Montem Coelium vocant, constructum Sanctus Franciscus Dei famulam ex obedientia destinavit. Fuerunt in illud plures nobiles Virgines ad regularem vitam agendam admissae, quas illa saluberrimis monitis, et exemplo ad severiorem Assisiensium Virginum Regulam alacriter servandam, aliquo temporis spatio erudire non destitit. Quibus jam in sancto Religionis proposito bene institutis, ad proprium Coenobium Assisium remeavit, ubi tandem christianis virtutibus praeclare, et meritis onusta eodem ipso anno, quo Sancta Clara ex hac luce migravit, ipsa quoque feliciter suum cursum implevit, et ad Coelestem Sponsum translata est, cujus memoriam gloriosam, ut fertur, ad ejus invocationem patrata miracula reddiderunt. ℟. Afferentur Regi.

In 3. *Noct. Homil. in Evang.* Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, *quae habetur supra in festo S. Clarae die* XII. *Augusti.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In festo B. Delphinae Virg. 3. *Ord. dupl. maj. Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui Beatam Delphinam famulam tuam inter cetera virtutum insignia, virginali pudicitia in conjugio decorasti: concede propitius; ut cujus solemnia celebriter veneramur in terris, ejus beata consortia feliciter consequamur in coelis. Per Dominum.

Et fit comm. S. Catharinae Virg. et Mart., et S. Petri Alexandrini Ep. et Mart. ut in Breviar..

In 1. Noct. Lect. De Virginibus *de eod. comm.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ex libro Sancti Augustini Episcopi de Nuptiis, et Concupiscentia.

Lib. 1. Cap. 10.

QUoniam non tantum foecunditas, cujus fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cujus vinculum est fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis, unde dicit Apostolus: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam: hujus procul dubio Sacramenti res est, ut mas, et foemina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent; nec liceat, excepta causa fornicationis, conjuge conjugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo, et Ecclesia, ut vivens cum vivente, in aeternum nullo divortio separetur. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

QUibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur: imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae charius, concordiusque servanda sunt, non voluptariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum. Haec enim propagatio filiorum, quae in sanctis Patribus pro-

pter generandum, et conservandum populum Dei, in quo prophetiam Christi praecedere oportuit, officiosissima fuit, nunc jam non habet illam necessitatem. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

ITaque et Apostolus, cum hinc loqueretur, ait: Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est; reliquum est, ut, et qui habent uxores, tamquam non habentes sint. Hoc, inquit, dico, fratres, tempus breve est; non adhuc populus Dei propagandus est generatione carnaliter, sed jam regeneratione spiritualiter colligendus. Reliquum est ergo, ut, et qui habent uxores, non carnali concupiscentiae subjugentur. Quod facilius fit, quando et uxores tales sunt, ut eis mariti non ideo placeant, quia divites, quia sublimes, quia genere nobiles, sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici sunt. ℟. Afferentur Regi.

In 3. *Noct. Homil. S. Augustini Episcopi in Evang.* Accesserunt ad Jesum, *quae habetur supra, in festo S. Elzearii die xxvii. Septembris.*

Pro Sancto Petro Episc. et Mart. Lect. ix. ut in Breviar. hac ipsa die.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

In festo B. Leonardi a Porta Mauritio Conf. 1. *Ord. dupl. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia. In Hymn.* Meruit supremos.

Oratio.

DEus, qui ad obstinata peccatorum corda per Evangelicam praedicationem ad poenitentiam fle-

ctenda, Beatum Leonardum Confessorem tuum admirabilem sanctitate, et invincto dicendi robore suscitasti: da quaesumus, ut contritionis lacrymas, ad quas ob duritiam cordis nostri permoveri non possumus, per ejus preces, ac merita consequamur. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

In secundo Nocturno.

Lectio vi.

BEatus Leonardus a Porta Mauritio in ora Ligustica Italiae, piis parentibus natus; etiam a prima pueritia mirifica quadam propensione ad pietatem portendit indicia futurae sanctitatis. Quae multo clariora deinde ejus in adolescentia eluxerunt, cum Romam profectus in Collegio Romano studiis litterarum, ac philosophiae operam dedit. Ita enim in illa scholarum celebritate est versatus, ut dum ingenii excitatione nemini concederet, innocentia morum, austeritate vitae, contemptu sui, studio rerum divinarum omnes antecederet, adeo ut in adolescente alter Aloysius Gonzaga Collegio illi redditus videretur. His positis fundamentis ad consummandum Sanctitatis opus, quod aedificare coeperat inter sodales Caravitanos adlectus, dum de more illius Sodalitii totus esset in navanda opera Apostolicis Urbis Concionatoribus, captus Apostolatus sanctitate, nihil magis in votis habere coepit, quam se totum proximorum saluti dedicare. Ad quod vitae genus quo facilius formaretur, terrenis omnibus abdicatis, in Familiam Fratrum Minorum Reformatorum instituti rigidio-

ris ingressus est: Hic quamdiu vixit, numquam a summa sanctitate est visus abesse. Admiranda in domesticis legibus servandis vigilantia singulare orationis studium, eximius in Jesum, atque Deiparam amor, assidua in affligendo corpore acerbitas, ardens in proximos charitas, summa in omni virtutum laude animi demissio, eum absolutum sanctitatis exemplar constituebant.

℟. Honestum.

Lectio v.

Ex hac virtutis schola, suscepto Sacerdotio, atque theologicis studiis ad praedicationem formatus, urgente in proximos charitate, tamquam e carcere ad cursum ad lucrandas animas egressus, tanta contentione apostolatum suscepit, ut conatibus impar ejectu sanguinis apostolicis laboribus in ipso praedicationis exorsu abstinere ei fuerit necesse. Hoc ex morbo, quinto post anno Deiparae ope relevatus, ad pristinam contentionem ita se renovavit, ut prodigii loco haberetur, in corpusculo adeo graviter affecto, inedia, vigiliis, macerationibus semper extenuato, tantam inesse firmitatem. Hoc in vitae genere numquam nec periculis deterritus, nec laboribus defatigatus, annos quatuor supra quadraginta perseveravit: quanta cum animarum utilitate, declarant Italiae Regiones admirabili ejus dicendi vi, qua vel obstinatissimos quosque pervincebat, ad Religionis studium revocatae, ac Urbs Roma praecipue quae concionibus ejus, ad quas etiam Benedictus Decimusquartus interfuit, adeo ad virtutem exarsit, ut fructus adhuc perennet admirandi illius Apostolatus. Nec vero dum exte-

rorum saluti consulebat, suos obliviscebatur. Nam beneficio Cosmae III. in solitudine Etruriae comparata ea domo, in quam ipse sese a praedicatione recipere ad S. Ignatii exercitia solebat, auctor fuit iis, qui arctius Deo adhaerere vellent, ut eo secederent, ibique juxta leges ab ipso conditas, et a Clemente Undecimo probatas, secreti a populo, asperiori vitae genere uterentur.
℟. Amavit eum.

Lectio vi.

IDem plura Sodalitia urbis excoluit, atque illud praecipue Sanctissimi Cordis Jesu, quod est in Sancti Theodori Templum, in iis multa instituit, quibus in Christum, atque in Deiparam honos mirifice est auctus. Horum dulcissima nomina in ore habebat semper, et tamquam praesidia certa salutis pro foribus domorum palam proponenda curabat. Passionis Dominicae meditandae studium propagavit, sacellis in Amphiteatro Flavio aedificatis: ad quae cruciatus Christi Crucem ad Calvarium bajulantis recolerentur, ab eo etiam perpetua Sacramenti Eucharistici adoratio praecipuis in Italiae Urbibus est constituta. His igitur, aliisque admirandis virtutum meritis maturus, Coelo postquam et prophetiae dono, et miraculorum virtute Deus sanctitatem Servi sui confirmasset, cum tempus appropinquaret retributionis, ut Benedicto Decimoquarto fidem praestaret, cui nuspiam nisi Romae se moriturum promiserat, ex praedicatione Bononiensi ad quam ab eodem fuerat missus, in Urbem reversus, laboribus fractus, morbo tentari coepit, quo cum deficeret, Ecclesiae sacris expiatus,

postrema salutis monita fratribus suis dedisset, anno aetatis suae quinto et septuagesimo, sanctissime obdormivit in Domino, die vigesima sexta Novembris in Coenobio S. Bonaventurae, ubi nunc ejus corpus colitur: eique Pius Sextus, qui viventem magno honore habuerat, absoluto prius rite de virtutibus, et miraculis Servi Dei judicio, anno ab ejus obitu quadragesimo quinto, Beatorum honores, Officium, et Missam decrevit. ℟. Iste homo.

In 3. Noct. de comm. Evangelistarum.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS.

In festo S. Jacobi de Marchia Conf. dupl. 2. class. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

℣. Ora pro nobis Beate Jacobe.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio.

Deus, qui ad animarum salutem, et peccatores e vitiorum coeno ad viam virtutis revocandos, Beatum Jacobum Confessorem tuum Evangelii praeconem eximium effecisti: concede propitius; ut ejus intercessione, a peccatis omnibus expiati, vitam consequamur aeternam. Per Dominum.

Et fit comm. Feriae, si venerit in Adventu.

Ad Matut. Lect. 1. *Noct.* Beatus vir, *de eodem comm.* 2. *loco.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

JAcobus Monte Brandonum Piceni Oppido in Dioecesi Asculana piis Parentibus natus, ab ipsa pueritia bonarum artium, et litterarum studia magna cum pietate conjunxit. Adolescens mundi vanitatem cogitans, Carthusianorum Instituto nomen dare constituerat; Deo tamen, qui eum ad animarum salutem, et fidei propagationem destinaverat, ducente, Minorum Familiam ingressus est. In ipso tyrocinio, quod in Coenobio Carcerum apud Assisium posuit, obedientia, paupertate, ceterisque virtutibus excelluit, ut religiosae perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, trium horarum somno contentus, reliquam noctem divinis in laudibus cruentis flagellationibus, rerumque coelestium contemplatione transigebat. Loricam ferream supra nudas carnes annis gestavit prope viginti, quam postea jussu Sacerdotis, qui ejus confessiones excipiebat, cilicio asperrimo commutavit. Semel in die pane, et aqua vescebatur, additis raro crudis fabis, herbisque silvestribus obsonii loco. Quam durissimam vivendi ratione tenuit, donec aetate provectum, et ob assiduos labores mala affectum valetudine, ut mitius aliquanto secum ageret, Sancti Bernardini Senensis auctoritas impulit. ℟. Honestum.

Lectio v.

SAcerdos factus, et ad munus concionandi delectus, vivo et efficaci sermone flagitia hominum constanter, et libere increpabat; nec viros nobiles, ac potentes reprehendere est veritus, si quos criminibus irretitos offendisset; tantusque fiebat ad eum audiendum concursus, ut cum frequentiam capere vel magna templa non possent, in plateis, atque areis suggesta erigi passim oporteret. Hinc Imperatores, Reges, et Praesules amplissimi certatim apud se eum concionantem habere voluerunt. Mediolani de Magdalenae lacrymis dicens sex et triginta impudicas mulieres a turpi quaestu avocavit, quibus etiam pecunia corrogata ad pie vivendum domicilium extruxit. Tum Sfortia Duce, ac Civibus vehementer instantibus, ut Archiepiscopale munus susciperet, eam dignitatem constantissime recusavit. Bis centena Infidelium millia Baptismi lavacro tinxisse, et in Hungaria brevi tempore quinquaginta Haereticorum millia ad Ecclesiae sinum reduxisse fertur. In Italia nequissimam Fraticellorum sectam iterum, ac tertio reviviscentem penitus extinxit. Ferrariensi Concilio, quod postea Florentiam translatum fuit, interfuit. Sigismundum, et Albertum Imperatores in maximis Regni difficultatibus, praesertim vero expeditione in Turcas promovenda, et Haereticis debellandis, consilio et opera adjuvit. Sancto Joanni a Capistrano sacri socialis belli adversus Turcas Pontificiae Legationis Consiliario in Hungaria defuncto suffectus fuit.

℟. Amavit eum.

Lectio vi.

MArtini Quinti, Eugenii Quarti, Nicolai Quinti, Callixti Tertii, Pii Secundi, Pauli item Secundi, et Sixti Quarti contra Haereticos Fraticellos, Manichaeos redivivos, Patarenos, Hussitas, Taboritas legationibus functus est. Quibus in expeditionibus Italiam universam non semel percurrit: Illyricum tertio, Pannoniam, Sarmatiam, Bohemiam, finitimasque Provincias peragravit. Tot autem itinera sine sacculo, et pera Apostolorum more pedibus confecit, ope divina unice fretus, quae tum maxime patuit, cum rejectus a nauta, Padum amnem, pallio super aquas instrato, cum socio pertransiit. Denique Neapoli, quo Sixti Quarti jussu, instante Ferdinando Rege, profectus erat, extremo morbo correptus, Ecclesiae Sacramentis rite susceptis, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, aetatis octogesimo quinto, quarto Kalendas Decembris spiritum Deo reddidit. Multis post obitum miraculis claruit, quibus rite cognitis Urbanus Octavus ejus Officium, et Missam ab Ordine Fratrum Minorum, et a Clero Neapolis celebrari permisit, quae Jacobum inter alios Patronos cooptaverat. Corpus ejus in Æde Sacra Sanctae Mariae Novae incorruptum adhuc et flexibile permanet. Quod cum Vincentius Cardinalis Ursinus, qui post Benedictus Decimustertius fuit, suis manibus contrectaret, et Philippo Quinto Hispaniae Regi venerandum offerret, odorem suavissimum expirare compertum est. Idem vero Pontifex anno millesimo septingentesimo

vigesimo sexto Jacobum novis miraculis coruscantem in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vii. *Cap.* 10.

IN illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

Exposit. in Cap. 10. *Lucae.*

QUantum ad designatorum praemissionem ante suum conspectum, subditur: Et misit illos binos ante faciem suam. Misit, inquam, auctoritate divina, quia sic dicitur: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Binos autem misit ad litteram, ut se mutuo custodirent, et adjuvarent, secundum illud: melius est duos esse simul, quam unum, habent enim emolumentum societatis suae. Vel secundum spiritualem intelligentiam, ut dicit Beda, per hoc, quod binos mittit, innuit, quod nemo praedicationis officium suscipere debet, qui erga alium charitatem non habet. In cujus rei designationem dicitur: Dentes tui, idest Praedicatores, quod est masticare cibum parvulis, sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas.

℟. Iste est.

Lectio viii.

IN hujus etiam rei figuram, et dicit glossa, animalia bina fuerunt in arca Noe. Et quoniam haec missio non erat, nisi sicut quaedam praeparatio ad Christum, ideo addit; in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus; unde sicut praecones praecedebant, secundum illud: Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Et quoniam messis amittitur, quando boni operarii desunt, ideo addit. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, idest Praedicatores bonos, qui gladium divini verbi, quo segetes metuntur non tantum in ore, sed etiam in manu portant; unde de bonis praedicatoribus dicitur: Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. ℟. Sint lumbi.

Lectio ix.

UNde praedicatio est gladius, qui nisi manu teneatur, non terret adversarium. Quod bene figuratum est de reaedificantibus Jerusalem, ubi dicitur, quod unusquisque una manu faciebat opus, et altera tenebat gladium. Tales operarii dantur divinitus, secundum quod est signatum, quod Deus posuit hominem in Paradisum voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum; et ideo sunt a Domino postulandi, ut eos conducat promittendo, conductos mittat praecipiendo, secundum illud: qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Te Deum laudamus.

In Laudibus. ℣. Ora pro nobis, *ut supra in Vesperis et fit comm. Feriae, si venerit in Adventu.*

Vesperae integrae de sequenti, cum comm. praeced. et Feriae, si venerit in Adventu.

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

In festo Omnium Sanctorum Trium Ordinum S. P. N. Francisci. Dupl. 2. class. Omnia ut in Breviar. die XXVII hujus cum ix. Lect. Homil. Vigil. S. Andreae Apost. si venerit ante Adventum, cujus eo tunc fit in Laudibus comm.

FESTA DECEMBRIS.

DIE V. DECEMBRIS.

In festo B. Elisabeth Bonae Virg. 3. *Ord. semid. (ad libitum). Omnia de comm. Virg. praeter sequentia.*

Oratio.

CRescat, Domine, in nobis Passionis Unigeniti Filii tui affectus: et Beatae Elisabeth Virginis imitatione, ejus memoria in cordibus nostris jugiter augeatur. Per Dominum.

Deinde fit comm. Feriae, ac S. Sabbae Abbatis. Antiph. Similabo eum. ℣. Justum deduxit. *Oratio,* Intercessio nos, *de comm. Abbatum.*

In 1. *Noct. Lect. de Script. occurr.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Elisabeth, ob eximiam vitae sanctitatem vulgo Bona, orta est anno Christi millesimo tercentesimo octogesimo sexto in Oppido Waldsech Dioecesis Constantiensis: Parentes catholicos habuit, Joannem Achlerum, et Annam, qui illam Ecclesiae Sacramentis initiarunt, et christianam religionem sedulo docuerunt. In summa animi simplicitate, et morum honestate primis adolescentiae annis transactis, hortatore Conrado Kugelino Viro probo, cui se in spirituali palaestra instituendam tradiderat, de capessendo Tertio Sancti Francisci Instituto cogitare coepit, cui postea in Monasterio Reuthe constructo, licet multa pertulerit, sese adstrinxit. Pedem ex illo numquam extulit, propterea inclusa nuncupata, eamque Anna mater, defuncto viro, secuta est, cum qua ad obitum usque sanctissime conversata fuit. ℟. Propter veritatem.

Lectio v.

In praefato Monasterio perfectionis iter ferventiore quadam ratione fuit aggressa, et odio flagitia quaevis ita vehementer insequebatur, ut in Sacramentali expiatione aliquando vix inveniret Confessarius, quod satis absolutioni esset. Proximorum amorem, paupertatem, obedientiam, afflictationem corporis, castimoniam, abstinentiam mirifice coluit, sibique adversas Sanctimoniales, a quibus diu multumque fuit di-

vexata, aequissimo, et benevolo animo complexa est. Magna animi demissione vilissima loci munera hilaris explevit: Jesu Christi patientis amore vehementer incensa, in actibus omnibus dolorum illius acerbitatem, et Crucem contemplabatur; imo ad obitum usque eam dolor momordit, quod in puerili aetate Dominicos cruciatus ad memoriam non revocaverit frequentius. ℟. Dilexisti justitiam.

Lectio vi.

SUpernis pluribus charismatibus sanctimoniam Elisabeth Deus testatam voluit. Prophetiae dono claruit, qua etiam, teterrimo furente Schismate, Ecclesiae pacem Martini Quinti electione futuram praedixit. Morti proxima a Confessario exorata, ut collata sibi divinitus beneficia manifestaret, contegi optavit, petiitque silentio obvolvi, adfirmans, sese peccatis irretitam, et praesto esse ad exemplum Vitam Christi, Mariae, et Sanctorum. Itaque Sacramentis refecta, ad illa verba Evangelii, Et emisit Spiritum, quod legi jusserat, septimo Kalendas Decembris, anno Virginei Partus millesimo quatercentesimo vigesimo, aetatis trigesimoquarto placidissime obdormivit in Domino, quem paulo ante obsecraverat, ut Sancti Joannis Apostoli amore succendi se largiretur. Cultu publico recoli Elisabeth illico coepit, quem a tempore, quod hominum memoriam superat, eidem exhibitum, Clemens Decimustertius Pontifex Maximus rite probavit. ℟. Afferentur Regi.

In 3. Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang.

Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, *de comm. Virg. 1. loco.*

In Laudibus fit comm. Feriae, ac S. Sabbae Abbatis. Antiph. Euge serve. ℣. Amavit eum. *Oratio ut supra.*

Vesperae de seq. cum comm. praeced. et Feriae.

DIE IX. DECEMBRIS.

In festo Ss. Festi, et Soc. Mart. semid. Omnia de comm. plurim. Mart. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum Festi, et Sociorum ejus, solemnitate laetificas: concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

FEstus Diaconus Sancti Januarii, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos pertrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Euthyches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur. ℟. Sancti tui.

Lectio v.

Postero die omnes in Amphitheatro feris objecti sunt ; quae naturalis oblitae feritatis , ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens , cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset , oculis repente captus , orante mox Beato Januario, lumen recepit ; quo miraculo hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt.

℟. Verbera carnificum.

Lectio vi.

Verum ingratus judex nihilo placatior factus beneficio , sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem , veritus maxime Principum decreta , Sanctum Episcopum cum Sociis gladio percuti jussit. Horum Corpora finitimae Urbes , pro suo quaeque studio certum sibi Patronum ex iis apud Deum adoptandi , sepelienda curarunt. ℟. Tamquam aurum.

In 3. *Noct. Homil. S. Hilarii Episcopi in Evang.* Sedente Jesu , *ut in die* XIX. *Septembris.*

DIE XII. DECEMBRIS.

In Festo Inventionis Corporis S. P. N. Francisci. Dupl. maj. Omnia ut in Festo IV. *Octobris praeter ea , quae sequuntur.*

Ad Vesperas.

Hymnus.

Quae patris ossa continet
Petamus Urnam supplices,
Illamque circum debita
Laeti canamus carmina.
O divi Amoris hostia;
Christi aemulator optime,
Sanctique templum Spiritus
Adesto nunc psallentibus.
Pater Minorum pauperum
Et forma poenitentiae,
Memento, quod simus tui,
Quamvis inertes, filii.
Ne nos ab Arce siderum
Quaeso tueri desinas,
Et quas ab ore fundimus
Preces benignus excipe.
Beata praesta Trinitas,
Concede simplex Unitas
Nostri Parentis ardua
Sequamur ut vestigia. Amen.

Oratio.

Deus, qui pretiosum Beati Patris Francisci Confessoris tui Corpus e tenebris in lucem proferri fecisti, da nobis, quaesumus, ut ejus intercessione e nocte peccatorum educti, gressus nostros in viam pacis, et justitiae dirigamus. Per Dominum.

Ad Matutinum.

Hymnus.

SAlve repertum maximo
Labore Corpus inclyti
Patris, sibi quod stigmate
Conforme Christus reddidit.
Vano diu conamine
Te quaesiere filii,
Arsere frustra suavia
Libare sacris ossibus.
Beata praesta Trinitas,
Concede simplex Unitas,
Nostri Parentis ardua
Sequamur ut vestigia. Amen.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ASsisiensis Basilica, quam Gregorius Nonus ob Sancti Francisci Minoritarum Parentis honorem, atque ad Sacrum ipsius Corpus loco honestissimo condendum molitione admirabili extruendam ab incoatu curavit, singulari quadam Divinae Providentiae dispositione illo dignitatis, ac gloriae splendore cumulata fuit, qui ad perfectum, absolutumque ejusdem decus desiderari unice videbatur. Communi quippe consensione percrebuerat, sub Ara principe ejusdem Basilicae locum esse, in quo Viri sanctissimi Corpus extaret: Verum nondum adinveniri posse, atque in lucem, aspectumque hominum proferri, lectissima tanti Patris Familia, et res Christiana universa

condolebat. Immo Paulus Quintus diserte cavit, ut Sacrum Corpus perquirere, fossionesque, aut aliud quidpiam in eum finem ibidem pertentare fas esset nemini. Illuxit tamen tempus a Deo praefinitum, quo pretiosus ille thesaurus protrahendus foret in lucem, et Pius Papa Septimus precibus annuens Generalis Ministri Minorum Conventualium, derogato interdicto Pauli Quinti ut nova prudenter fieret Sacri Corporis inquisitio benigne concessit. Tu autem etc.

Lectio v.

LOngo igitur duarum, et quinquaginta noctium, atque incredibili labore, clam, et occulte insumpto, locum demum introspicere datum fuit Arae maximae recta suppositum, in quo Arca lapidea jacebat, quam ferrei clathri validis virgis, inferiusque ac superius mirifice densis circumcludebant, quin Sacras Reliquias ibidem adservatas invisere prohiberent. Aditu proinde in cavum eum sinum, uti cautum fuerat, illico obstructo, reque ad Summum Pontificem delata, primum Episcopo Assisiensi mandatum fuit, ut ea dumtaxat, quae usque tum acta proferebantur, rite ipse cognosceret, quin tamen de Sacris Reliquiis quaestionem institueret. Mox per Litteras in forma Brevis, alii Episcopi Nucerinus nempe, Spoletanus, Perusinus, et Fulginatensis adjecti fuerunt, ut insimul in memoratum locum convenirent, reque universa accuratissime conspecta, viris artium peritis et in examen vocatis, ea omnia in acta solemnia referrent, ac juridicum super identitate Sacri Corporis pro-

cessum peragerent, obsignarent, et ad Urbem mitterent, simulque significarent, quid de re ipsa sentirent. Tu autem etc.

Lectio vi.

His omnibus absolutis, Christi in terris Vicarius acta omnia discutienda, et perpendenda demandavit selectae cuidam Congregationi deinde vero caussam universam serio, diligenterque considerandam ipse suscepit; atque peculiari Divinae sapientiae praesidio multa, humilique prece exorato, Nonis Septembris anno millesimo octingentesimo vigesimo edixit, et declaravit: *Constare de identitate Corporis nuper sub Ara maxima inferioris Basilicae Assisiensis inventi, illudque revera Corpus esse S. Francisci Ordinum Minorum Fundatoris.* Voluit tamen, ne Venerabile Corpus ex subterraneo loco, in quo sex fere saeculis quieverat, alio deferatur: item ne vel minimam quidem Sacrorum Ossium partem liceat inde extrahi, auferrique; ac demum ne Arca, postquam clausa fuerit, et obsignata, ullo umquam tempore absque Romani Pontificis permissu reseretur. Quod ut exequutioni mandaretur, magnis sumptibus mons scrupeus effractus est; lapides amoti, et tertia Ecclesia circa locum constructa est, ubi Seraphici Viri Corpus ab initio fuit conditum. Ut autem perpetua de hoc extet memoria Leo XII. Pontifex Maximus Missam cum Officio de Inventione Corporis Sancti Francisci approbavit, et ab universo Minorum Ordine celebrari praecepit. Tu autem etc.

Ad Laudes.

Hymnus.

Francisce, magnis sumptibus
Molis stupendae Ecclesia
Struetur, ut det nobilem
Tuo quietem Corpori.
Frangetur et Mons scrupeus
Post sena ferme saecula;
Consurget et circa tuum
Ædes Sepulchrum tertia.
Huc se gerentes munera
Christi fideles conferent.
Et emicantes lampade
Muros fovebunt osculis.
Ditat Deus, qui pauperes,
Et praepotentes deprimit,
Te munerari censuit
Ista benignus gloria.
Beata praesta Trinitas
Concede simplex Unitas,
Nostri Parentis ardua
Sequamur ut vestigia. Amen.

DIE XVI. DECEMBRIS.

In festo Patrocinii S. Januarii Ep. et Mart. Princ. Patr. Civit. et Regni Neap. dupl. min.

Omnia ut in ejus festo die XIX. *Septembris praeter Lect.* 1. *Noct. quae extra Quatuor Tempora erunt de Script. occurr.*

DIE XIX. DECEMBRIS.

In festo B. Conradi ab Ophyda Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

AUgeatur, quaesumus Domine, in cordibus nostris sincerae pietatis affectus, et praeclarae Beati Conradi Confessoris tui humilitatis, ac devotionis exempla nobis imitari ejusdem intercessione concede. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occur.

Lectio iv.

COnradus Ophydae praecipuo Asculanae Dioecesis Oppido Christianis ortus parentibus, Deique benedictionibus praeventus, pueritiam innocenter transegit: et quatuordecim circiter annos natus Seraphico Ordini ingenti fervore nomen dedit, in quo prae sanctae humilitatis, suique contemptus amore, studiorum curriculo nondum plane emenso vilioribus, ac laboriosis Conversorum ministeriis sese ultro addidit. Beato Petro Trejensi summa fuit necessitudine conjunctus, ita ut cor unum, unamque videretur in utroque adesse animam ob intimam, quam invicem proposuerant spiritus communicationem, eamdemque animi pietatem, ac mentis fervorem. Orationi, assiduaeque contemplationi, corporisque cruciatibus, puroque regularis observantiae zelo jugiter intentus, Deiparae Virginis,

Angelorum, aliorumque Sanctorum, maxime Beati Ægidii, Divi Francisci Socii visione, et alloquio frequenter dignatus est.

℟. Honestum fecit.

Lectio v.

MIssus a Generali Ordinis Praefecto in Montem Alverniae ad colendum Sacrorum Stigmatum Sacellum, ad quod tunc temporis Sanctiores seligebantur ex universo Ordine Consodales, ibi aliquandiu permansit. Sed quo magis se absconderet, veniam, a praefato Generali obtinuit alio commigrandi, et Sirolum petiit, ubi puellam a Daemonis obsessione liberasse constans tradito fuit: quare populorum timens frequentiam, suique nominis celebritatem, solitarium Forani Conventum adiit, ubi absconditam vitam duxit cum intimo consodali Petro Trajensi, quo praesente in festo Purificationis Beatae Mariae Virginis cum mysterii memoriam mente versaret, Beatissimae Matris apparitione meruit recreari, et Puerum Jesum sibi in ulnis traditum amplectens mira dulcedine perfundi. ℟. Amavit.

Lectio vi.

CHristi vestigia, et Evangelicam perfectionem impense colens, nudis semper incessit pedibus, unica, vilique contentus tunica. Concionator extitit egregius, morumque gravitate eximius, Seraphici Parentis sui virtutes, vitaeque rationem ita aemulatus est, ut ejusdem S. Patriarchae socii, qui adhuc vita fruebantur, in Beato Conrado alterum Franciscum se conspicere assererent.

Dum patrio in Coenobio moram faceret, suis ferventissimis cohortationibus, et monitis Fratrem quemdam juvenem nimis consodalibus molestum, moribusque inordinatum, ad meliorem redegit frugem, ac inde mortuum suis precibus a Purgatorii poenis liberasse fertur. Pluribus illustratus supernis donis a Deo fuit, et miraculorum gratia tam in vita, quam post obitum clarus evasit; virtutibus tandem, ac meritis plenus felix ad astra migravit, dum praedicaret in Insula prope Assisium, quae nunc Bastia nuncupatur anno millesimo tercentesimo sexto, pridie Idus Decembris, ubi fuit honorifice sepultus. Ejus tamen Sacrae exuviae in eversione Insulae Perusiam allatae usque ab anno millesimo tercentesimo vigesimo religiose asservantur in Ecclesia Minorum Conventalium ejusdem Civitatis. Cultum publicum Beato Conrado ab immemorabili praestitus, Pius Septimus Pontifex Maximus die vigesima prima Aprilis anni millesimi octingentesimi decimi septimi ratum habuit, et confirmavit, ejusque festum cum Missa, ac Officio de communi ab universo Minorum Ordine, et a Clero Saeculari Civitatum Perusiae, Assisii, ac Terrae Ophydae quotannis die duodecima Decembris ejus obitu pretiosissima, celebrari indulsit. Deinde viro Lectiones proprias secundi Nocturni cum Oratione item propria adprobavit, et recitari posse concessit.

℟. Iste homo.

DIE XXIII. DECEMBRIS.

In festo B. Nicolai Factoris Conf. 1. Ord. dupl. min. Omnia de comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Nicolaum Confessorem tuum ineffabili charitatis tuae igne succensum te puro corde sectari fecisti : da nobis famulis tuis, ut eodem spiritu repleti, et charitate ferventes, viam mandatorum tuorum inoffenso pede curramus. Per Dominum.

In 1. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

NIcolaus Valentiae Edetanorum piis parentibus ortus, ab ineunte aetate praeclara futurae sanctitatis edidit documenta. Quinque enim annos natus ter singulis hebdomadis jejunabat, pane tantum, et aqua contentus : obsonia sibi parata alacriter pauperibus elargiebatur; atque egenorum, et leprosorum manibus, tibiisque, sanie licet, manantibus pia oscula dabat. Quibus sane, aliisque christianae perfectionis exemplis famula domus, Maura, commota, mahumeticam ejuravit superstitionem. Adolescens aegrotos in nosocomiis crebro invisebat, propriis ipse manibus illis inserviebat; omnique studio nobiles Viros, ac Matronas Civitatis ad id operis alliciebat. Quae et alia miranda pietatis, et charitatis opera, in quibus mirifice eni-

tuit, ad mortem usque numquam dimisit. Mundi, suique contemptor, pecuniae summam ei ad connubium oblatum strenue recusavit: ac parentum blandimentis ipsum in matrimonium collocare adnitentium, invicta constantia restitit. Exinde de regulari aliquo Instituto amplectendo serio cogitare coepit. Itaque Observantiae Sancti Francisci nomen dare decernens, ad Coenobium Sanctae Mariae a Jesu Valentiae clanculum secessit, ibique non tam precibus, quam lacrymis a Superiore habitum obtinuit. Tyrocinio exacto, professionem emisit; Sacrisque Ordinibus initiatus, Verbi Dei praedicationi totum se dedit.
℟. Honestum.

Lectio v.

ELucebat in eo summa vitae innocentia, comitas, verecundia: ob quas egregias animi dotes difficile dictu est, quot ad meliorem frugem traduxerit, quotque e vitiorum coeno ad viam salutis revocaverit. Ad haec priusquam in concionem ascenderet, ter flagris se caedere consuevit. Diris subinde ciliciis, flagellis, ac jejuniis corpus suum continue macerabat, nullique unquam pepercit afflictationi ad pravas affectiones cohibendas. Nudis semper pedibus incessit: cogente vero morbo, subjecta obtectus solea, ac simplici contentus tunica. Noctes saepe insomnes traduxit, ac pro eo, quo erga Jesu Christi Passionem aestuabat, amore, binos integros annos ad Crucifixi pedes excubasse, memoriae est proditum. Vultus ejus, etsi poenitentia attritus, singulari tamen Dei gratia vegetus semper, et venustus apparuit. Obedientia, paupertate, et

pudicitia emicuit; nitidamque conscientiam suam quam nulla mortali labe unquam foedasse perhibetur, non modo sartam tectam servavit, sed daemonem etiam specie mulieris formosae indignis modis ad eam labefactandam turpiter ei insidiantem, vimque facientem vicit, ac profligavit. Tyrones, quibus praefuit, verbo, atque exemplo ad perfectionem evehere sedulo curavit. Truculentis, desperatisque hominibus necem sibimetipsis suspendio inferre conantibus superno lumine afflatus praesto adstitit, e mortis limine, faucibusque daemonis liberavit, et ad criminis confessionem adduxit. Sanctis Ludovico Bertrando, et Paschali Baylon, aliisque Viris doctrina et sanctitate conspicuis, fuit acceptissimus, et ab iisdem ob vitae sanctimoniam summis laudibus celebratus. ℟. Amavit.

Lectio vi.

A Joanna Austriaca Philippi Secundi sorore, Matritum accitus, Excalceatarum Monialium, quas vocant Regalium, Confessarii munus laudabiliter obivit. Orationi, et meditationi jugiter addictus non semel a terra elevatus visus fuisse dicitur, ac frequentes adeo extases passus, ut interdum viginti quatuor horas in raptu deprehensus, diuque, noctuque passim, et ubique locorum ejusmodi deliciis perfrueretur, facie ut plurimum inflammata, luce ex ea irradiante, et urentibus etiam carnibus. Idque frequentius ei contingebat in meditandis Sacris Fidei Mysteriis, potissimum vero oriebatur ex ferventissimo amore, quo erga Sacratissimam Eucha-

ristiam flagrabat: quare aliquando inter Eucharisticum Panem distribuendum non solum miris extasibus extra se rapi, verum et Sacras Formas ad digitos suos saltare, raro quidem prodigio observatum perhibetur. Singulari in Deum amore, ac in Virginem Matrem pietate effulsit, plurimisque supernis Charismatibus fuit exornatus. Meritis tandem, et laboribus plenus in morbum incidit; ac satis memorando humilitatis exemplo, in stabulo humari, semel, iterumque efflagitavit, proximique obitus accepto nuntio, hilari animo in illa verba prorupuit, *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi.* Sacramentis item Ecclesiae rite munitus, placidissime obiit Valentiae extra Moenia in Conventu Jesu. Defuncti Cadaver flexibile, vegetum, ac suavem spirans odorem, novem dies, ut fidelium concursui fieret satis, insepultum remansit. Triennio post exhumatum, integrum adhuc fuit inventum, ac Philippo Secundo Hispaniarum Regi conspiciendum exhibitum est. Postremo Dei servum miraculis etiam clarum, Pius Sextus Pontifex Maximus solemni ritu Beatorum fastis adscripsit.

℟. Iste homo.

In 3. *Noct. Homil. S. Gregorii Papae in Evang.* Sint lumbi vestri, *de eodem comm.* 1. *loco*, *et comm. Feriae.*

IN TRANSITU S. P. N. FRANCISCI.

Die IV. Octobris circa occasum Solis, qua hora S. P. N. Franciscus evolavit in Coelum, vel immediate post Vesperas convenient Fratres ad Sacellum ipsius S. Patris, et ibi majori, qua fieri potest, devotione et solemnitate stantes ante ejus aram incipient ab hac Antiphona.

O Sanctissima Anima, in cujus transitu Coeli Cives occurrunt, Angelorum Chorus exultat, et gloriosa Trinitas invitat, dicens: mane nobiscum in aeternum.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: * voce mea ad Dominum deprecatus sum.

Effundo in conspectu ejus orationem meam, * et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

In deficiendo ex me spiritum meum: * et tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, * absconderunt laqueum mihi.

Considerabam ad dexteram, et videbam: * et non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, * et non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine: * dixi: Tu es spes mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: * quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: * quia confortati sunt super me.

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo : * me expectant justi , donec retribuas mihi.

Gloria Patri.

Ultimus versus, Educ de custodia, *cani debet etiamsi pulsentur organa, quia Seraphicus Pater dictis his verbis expiravit. Hinc post* Gloria Patri *genuflectitur*, *et recitantur quinque* Pater , Ave, et Gloria, *et postea immediate canitur Antiphona.*

Salve Sancte Pater , patriae lux , etc.

℣. Franciscus pauper, et humilis, Coelum dives ingreditur.

℟. Hymnis coelestibus honoratur.

Oratio.

DEus, qui hodierna die Animae Beati Patris Nostri Francisci aeternae beatitudinis praemia contulisti : concede propitius, ut qui ejus migrationis memoriam piis affectibus celebramus , ad ejusdem beatitudinis praemia pervenire mereamur. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Post haec Superior , vel Sacerdos Pluviali indutus benedicit Populo cum Reliquia S. P. N. Francisci, et interim pulsantur organa , et campanae.

FINIS.

TABULA

SANCTORUM AC BEATORUM

QUI IN HOC LIBELLO CONTINENTUR AB ANNO CIRCITER 1740 USQUE AD 1840 INCLUSIVE.

JANUARIUS.

FEBRUARIUS.

MARTIUS.

APRILIS.

MAJUS.

JUNIUS.

JULIUS.

AUGUSTUS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

DECEMBER.

MONITUM.

Cum plura sint Officia peculiaria pro diversis Ditionibus, et Provinciis (*de quibus in Rubricis peculiaribus ad n. 1. Tit. I., ad n. 1. Tit. XII. circa med.*), eaque non potuerint hic per extensum apponi, ne Breviarium excresceret ultra congruum, curae erit Superioris respectivae Provinciae, ut eadem in suorum Religiosorum usum seorsim imprimantur. *Ex Breviario Romano Seraph. Romae edito Anno* MDCCLXXXV. *pag.* 144.